Lefferat


GEMINÆ CORONÆ CARMELI
HISTORIA SACRA
POESIS SACRA
EXQVIRENTES MODOS MVSICOS
ET NARRANTES
CARMINA SCRIPTVRARVM.

GEMINÆ
CORONÆ CARMELI.
CARMINA
F. ANTONII A' S. NICOLAO
CARMELITÆ EXCALCEATI
NEAPOLITANI.

Ad Sanctos ELIANI Ordnis ante
Reformationem Directa.

PARS PRIMA.

*Accessit ejusdem Manipulus Varius
Florum Poeticorum.*



NEAPOLI M.DC.XC.IV.
Ex Officina Sociorum, Porpora, Troyse, & Pietroboni.

SUPERIORUM PERMISSU.

VIRGINI DEIPARÆ CARMELI REGINÆ.

EN Tibi Auguſtiſſima Carmeli Regina, has quaſcumque vides conſecro coronas. Sunt geminæ, ut geminum ſignent tuæ virgineæ maternitatis decus. Sunt Carmeli, ut noſcas, à dilecto colle non eſſe degenera germina. Hinc duplicem præſeferunt Eliæ ſpiritum, expriimuntque vetuſtos Carmeli decores, & recentes. Spontè tuas anhelant ambire comas, ut caducas exuant

florum ſpecioſitates, induantque immortales aſtrorum pretioſitates, æmulæ illius è duodeno ſidere compactæ coronæ, quæ tua præcingit tempora. His tù amiciri ſertis ò Deipara ne dedigneris: ſunt enim ex liliis præcipuè contexti manipuli, qui tibi Genitrici, convallis lilii ritè aptantur, nec deſunt genuina roſaria, divinum tuæ charitatis denotantia ruborem. Sed nec mireris federatos Parnaſſi colles cum Carmeli Montibus, aut ſociatas Heliconis aquas, cum Eliæ fontibus: Quandoquidem, non his undis potantur mendacia, nec hiſce cacuminibus, Danaæ colliguntur fabulæ; Quin potius, Charites æthereæ, commixtæ Camenis, nil niſi veridicos faſtos ad lyræ melos modulari norunt. Faſtos inquam, illos tuæ Carmeliticæ Familiæ, quos ſemper ad-

ve-

venientia tempora obſtupuerunt, & ſæcula ipſa, quaſi moræ impatientia dum geſtarunt, nimis portentoſa proclamarunt. Non ergo abs re, annorum monimenta, Virgineæ Prolis, à Virginibus Muſis perſonandas exiſtimavi; cùm caſtas, caſta deceant; & Mariana meditando volumina ingenuis carminibus opus cudendum commendare, non ultrà fas ſum arbitratus. Fortaſſe cogitanti mihi, ſacris Muſis patrocinium impingere, illud ab alio Numine fore præſtolandum ſum veritus? Abſit; ſed ſub cujus auſpicio pollularunt, ſub illius umbra ſiſtantur. Nec te ò Sereniſſima Maria latet, me voti compotem eſſe, quidquid Palladii luſus à Phœbo concinatur, tibi ad obſequii vectigal deferendum. Hæc igitur mei votivi amoris cape tributa; licet enim

 im-

immeriti filii ; meritiſſimæ tamen Parenti perſolvuntur, quæ ſolo intuitu, pauperiem ipſam, ditare eſt potis. Adſis interea, dum partem alteram, Camenis fido. Tempus adveniet ſpero, quo Tereſia cum excalceata mea familia, alteram coronam, tuis panompheis crinibus implicabit, ut in votis habet ille Tuæ Sereniſſimæ Majeſtatis.

Servus Humillimus, & Filius
F. Antonii à S. Nicolao.

AD LECTOREM.

HAbes (candide Lector) primam partem, Geminarum Carmeli Coronarum, dabit operi coronidem pars secunda. Altera est vigintiquinque Sanctorum Elianæ religionis, ante Carmeli instauratricem Teresiam. Altera erit totidem Heroum, post reformationem, incipietque à Teresia, & Joanne à Cruce, usque ad venerabiliores Magnates nostri Ordinis. Fateor in prima, non individualiores in vita gestorum enunciasse decores; quippè cum famigerati resplendeant in Ecclesia Coriphæi; satis eorum factorum, Orbis Christianus est Echo; At in secunda precipuę eorum virtutes, admiranda opera, & cœlestium Charitum favores, carmine elegiaco conscribentur. Tù ò benevole Lector, ne dedeceat putes meam professionem, carminibus insudasse. Non enim ut latinę poeseos delicium, eruditis antefero; sed ut Superiorum obedientię consulàm, quorum nutibus parere Religiosi est unica laus. Profectò Parnassi bifidum collem ascendisse quandòque, ob meę valetudinis lenimenta (sequestro severioris disciplinę studio) negare non possum; Attamen nulla

prëli

pręli tradidissem luci carmina, nisi expressa Pręlatorum iussissent imperia. Hinc in Poeta religioso, mimicos sales, aut mordaces satyras non pręstolare. Procùl ò, procul este dedecora carminum, à decore Carmeli, & si aliqua probas uni Beatissimę Virginum Virgini asseras; si secus, aut compatere, aut lepidè mone. Vnum scias: versus hos, & omnia, Ecclesiæ orthodoxę nutibus velim subjaceant, & Fatorum, Fortunę, Deorum, & similium nomina, Musarum esse pura blandimenta. Vale.

JESUS MARIA

F. Philippus à S. Nicolao Vicarius Generalis, Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Congregationis S.Eliæ. Tenore præsẽtium facultatem concedimus R.P.F. Antonio à S.Nicolao Provinciæ nostræ Neap. Sacerdoti professo, ut typis mandare possit Librũ cui titulus: *Geminæ Coronæ Carmeli, Carmina, &c.* ab ipso compositum, & à nostræ Congregationis Theologis recognitum, & approbatum. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ de Scala hac die 17. Decembris 1693.

F. Philippus à S.Nicolao Vicarius Generalis.
F. Michael à SS.Trinitate Secret.

APPROBATIO.

IAm Carmelus noster A.R.P. nulli montium invidet ultrà. Iam ipsum non fictæ somniis incolant Musæ. Nec sanè miror circum resonare cantibus; in cujus fronte, illa principatur Timpanystria, cujus laus est voce pollere, Mariam inquam, de qua in Canticorum Canticis testatus est sponsus: Sonet vox tua in auribus meis, Vox enim tua dulcis. Equidem committẽte te profiteor Poeticum hunc Montem, cujus titulus: *Geminæ Coronæ, &c.* Floribus onustum, non sine animi delectatione me conscendisse, & undique circuisse; ut sic qualem expertus sum, nulli orthodoxæ fidei veritati dissonum, aut morum obnoxium integritati, talem subscribam ab omni cujusvis generis censura absolutum. Sic censeo

R.V.A.R.

Addictiss. Servus, & Filius
F. Aloysius à Matre Dei Theologiæ Sacræ Lector.

JESUS MARIA.

PVlchrè A.R.P. Carmelus, Mons coagulatus, Mons pinguis, gemina redimitur corona; Hujusmodi si quidem opus hoc, cui titulus: *Geminæ Coronæ Carmeli. Carmina, &c.* à R.P.F. Antonio à S.Nicolao compositum, nomen habet, & omen. Coronetur inquam, & caput ejus, super libanum exaltatum, calvitio non amplius erubescat, quemadmodum jam pridem Propheta fleverat, exiccatus est vertex Carmeli. Hinc operis hujus emergit argumentum. Si enim Cæsar præ omnibus perpetuo coronæ usu, quo calvitiem decoraret, gavisus est privilegiis; Etiam inglorios Carmeli vertices, potiori ju-

ri jure credendum, hoc duplici lætandos esse diademate; itaùt, velata capitis ignominia exuberet undique redimitus. Cæterum coronas has, ut tuæ commissionis jura persolvam, ita omni flore pubescentes, tàroque artificio contentas expertus sum, ut nullus flos, aut inconcinnè defluat, aut morum non redoleat probitatem. Tales subscribo fidei orthodoxæ consonas, & nulli prorsus cujusvis censuræ obnoxias.

R.A.R.A.

Addictiss. Servus, & Filius
F. Mauritius a S. Philippo Sacræ Theologiæ Lector.

EMINENTISS. SIG.

Fr. Antonio di S. Nicolò Carmelitano Scalzo, supplicando espone à V.E. come deve stampare alcune sue compositioni in verso latino sopra i Santi della Religione Carmelitana; Che perciò prega V.E. si degni commettere la revisione di dette compositioni à chi le parerà, e l'havrà à gratia, ut Deus.

Rev. Pater Magister Frater Henricus Scalesius à Pimontio Ordinis Prædic. videat, & in scriptis referat die 17. Decemb. 1693.
Canonicus D. Ianuarius de Auria Conf. S. Offic. Deputatus super editione Librorum.

EMINENTISSIME DOMINE

Ut obedirem mandatis E.V. legi Librum continentē vitas Sanctorum Carmelitici Ordinis, elegiaco carmine conscriptum a Rev. P. F. Antonio à S. Nicolao Carmelita Excalceato, in quo nedū nec hilum reperi catholicæ fidei, aut innocuis aduersum moribus, quin potius, quantum metrica pati poterat compositio, omnia pietatem adhalantia, ut opus dignum existimem (ni aliud E.V. judicaverit) communis fieri juris, nec amplius in tenebris delitescere. Ex Collegio D. Thom. Aquinatis 11. Kal. Ianuarii 1693.

F. Henricus Scalesius à Pimonte S.T.M. & Conf. Offi. Ord. Præd.

Attenta relatione suprascripti Rev. P. Revisoris quod possunt imprimi.

Imprimatur die 23. Ianuarii 1694.
Canonicus D. Ianuarius de Auria Conf. S. Offic. Deputatus super editione Librorum.

ECCEL-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE

IL P.F. Antonio di S. Nicolò Carmelitano Scalzo, ſupplicando eſpone à V.E. come deſidera dare alle Stampe un Libro intitolato, *Geminæ Coronæ Carmeli*; Per tanto ſupplica V.E. voglia commetterne la reviſione à chi li piacerà, e l'havrà à gratia ut Deus.

Rev. D. Matthæus Gaudioſus videat, & in ſcriptis referat.

Die 21. Maii 1694.

Soria Reg. Iacca Reg.

Cæteri Illuſt. & ſpectabliles Regentes non interfuerunt.

Maſtellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE

LIbrum, cui inſcriptio, *Geminæ Coronæ Carmeli*, heroico Carmine, metro dulciſono, ſacra, facunda, fœcundaquè Clio per R. P. F. Antonium à S. Nicolao, ex Diſcalceatis Sanctæ Matris Tereſiæ elegantèr congeſtum, de mandato E. V. ſumma jucunditate perlegi, nèc minimum quidèm, Regiæ Iuriſdictioni adverſans mihi occurrit: quapropter, ſi E.V. placuerit, prælo meritiſſimum cenſeo. Neap. 25. Maii 1694.

E. V.

Humillimus, & Devinctiſs. Servus

Abbas Matthæus Gaudioſus J.U.D. S.Th.D. & Mag. Rev. Capit. Neap. & Cleri Procurator.

Imprimatur. Verum in publicatione ſervetur Reg. Pragmatica.

Soria Reg. Miroballus Reg. Gaſcon Reg.

Spect. Reg. Carrillo Ill. Dux Paretæ non interfuit.

Maſtellonus.

DIVO-

DIVORUM

NOMENCLATURA,

Quorum Vitæ in hoc Volumine recensentur.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. ELIÆ.

CARMINUM princeps decebat Eliam Carmelitarum Principem. Quis autem Elias, qui mores, quod viri studium, sat sacra eloquia testantur. Texunt enim illius historiam his verbis: Surrexit Elias tamquam ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat, &c. Ego pro mei instituti modulo, & ut brevitati consulam, hæc pauca recenseo.

censeo. Filius fuit Sabachi de Tribu Levitica, & secundum non nullos Bosemad filiæ Regis Salomonis, ut ex quibusdam Hebræis traditionibus eruitur. Prodigiosum profectò fuit Sabachi Patris somnium, in quo vidit infantulum igne enutriri inter Nutricis ulnas per manus Angelorum. Hocque à S. Epiphanio æternitati commendatum his verbis invenimus. (Viri niveum præseferentes habitum pusionem salutabant; Matrisque uberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant.) Portentum hoc, indicium sanè fuit, quantum Elias super ignis elemento exerciturus dominium foret, probavitque exitus rem. Nam de Cœlo dejecit ignem ter, vocavitque flammas, ut suum devorarent holocaustum; aliàsque ut Milites combureret, & tandem igneo curru raptus ad Paradisum evolavit. Cœtera ejus portenta enumerare operæ pretium non arbitratus sum. Sufficiat quippè quid de nostro Thesbite maximo conscripserit S. Isidorus inquiendo: Elias, qui interpretatur Dominus Deus, Thesbites, Sacerdos magnus, atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, industria solers excellenti ingenio præditus,

ditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus. Verberavit Tyrannos, sacrilegos interfecit, multisque signis virtutum effulsit. Trienii siccitate clausit imbribus cœlum, oravit rursum, & Cœlum dedit pluvias. Mortuum muleris filium suscitavit, cujus virtute bidria farinæ non defecit, & vas olei perpetuo fonte manavit. Cujus verbo super sacrificium ignis de Cœlo venit. Duos quinquagenarios cum militibus cœlesti igne combussit. Jordanem transiens, tactu melotis abrupit aquas. Post hæc igneo curru in Cœlum raptus ascendit, venturus juxta Malachiam Prophetam in fine Mundi præcursurus Christum annunciaturus ultimum ejus adventum, &c. Hæc panegerysta Isidorus, quibus ego non immorans de duobus Lectorem monitum volo. Alterum à nostro P. Elia sub specie nubeculæ è mari salientis Mariam Virginem visam fuisse, dum in Carmeli clivo moraretur, & ex tunc sese Deiparæ dedicasse, totumque Prophetarum ordinem, illius auspiciis devovisse, ut cursu temporis contigit. Alterum verè Thesbitem Ordinis prophetici fuisse Protoparentem, qui labentibus sæculis Carmeliticum

induit nomen. Quot autem Heroes gratiæ cœlestis Elianus exercitus prodiderit consule Abbatem Trithemium ita utrique annuentem. A loco, ab habitu, à conversatione Elias Fundator est Carmelitanæ Religionis, in qua si quis stellas dinumeret, & Sanctos dinumerare poterit. In sequenti autem carmine prædicta omnia obiter tanguntur, licet Musa suo more inter delicias terrestris Paradisi aliquantulum plus moræ impartierit.

CAR-

CARMEN I.

CArmeli Montes, & Montibus addita Cœli
    Limina, ſidereis proxima regna plagis,
Quò ſaliunt vitrei per quadrua compita fontes,
    Sternit ubi vernum Dædala terra thorum
Ipſe canam: Noſtris tu Virgo cantibus adſis
    Virgo, quæ noſtri collis es alta Parens.
Aſpice ſudantes gemina ſub mole Camenas,
    Utque duplo preſſus pondere Phębus hiet.
Tu fac deſueto plectrum tetigiſſe cothurno,
    Tu fac ſuſpenſam ſollicitare chelyn.
Thesbites mihi primus erit teſtudinis ordo
    Fervida qui calido pectore verba tonat.
Fama tulit, puerum contempto lactis amore
    Porrecto riguas vaſe bibiſſe faces.
Hinc ſuperis ignes deducit ſedibus: Æther
    Inſtruit arſuros ad ſua vota rogos.
Evenit: rigida dum clamat voce Sacerdos
    Ardeat ante meos hoſtia cæſa pedes.
Haud minus undantes Hyades, imbreſque ſonantes
    Continuit, pluvium clauſerat ille polum
Heù fruſtrà tellus ſitienti ſupplicat ore
    Nimbiferas fruſtrà rura precantur aquas

Ter

Ter gelidum Capri limen penetrarat Apollo,
Flammivomo totidem viserat orbe Canem
Nec madidus laticum curvarat Aquarius urnam
Surdaque rorigeras Alba negarat opes;
Sed rogat Elias subitoque tonitrua Cœlo
Exiliunt, pluvii dant bona signa Jovis
Parent Plejades: in flumina solvitur axis,
Arida mox pota Najade, terra madet
Scit reserare fores, scit claudere limen Olympi
Vates, scit nimbos, scit revocare focos.
Quos memorem mortis sectos à falce Prophetas,
Queis Baal indignum numen, & omen erat?
Bis retegit gladium, strictis bis fulminat armis,
Et quadringentos demetit ense Magos.
Ite ait ad stygios, O turba venefica postes,
Non semel in vestro nata cruore mori
Ite Acheronteas lacrymis replete lacunas
Sat Phlegetonteo victima pacta Jovi:
Discite justitiam Mortales; ecce trucidat
Innumeros unus, cui Deus unus adest.
Surge animo: majora decet Polyhymnia pangas,
Altius Aonium nunc mediteris opus.
Quid Pater Elias typica sub nube tuetur,
Quæ de cæruleo scandit ad astra freto?

Pande

Pande arcana, precor, precor hæc portenta revela?
Dic quæ ſub parva grandia nube latent?
Mira fides! ſub nube latet lux ipſa! ſuperni
Luminis intacta Virginitate Parens!
Quam non dum cupido geſtarunt ſæcula Mundo
Huic tamen, & tellus, & famulantur aquæ
Namque aderat cunas ante, ante exordia terræ
Ante fluentiſoni brachia curva maris
Hactenus è nihilo, non avolitarat abyſſus,
Spumeus haud vitreas fuderat amnis opes;
Nec tumidi ſteterant immani pondere montes,
Aut placido facilis tubere collis erat;
Hæc tamen æterno concepta Tonantis ab ore,
Ætherei fuerat Numinis unus amor
Hanc videt Elias, nebuloſo tegmine tectam;
Hancque colit curvo poplite pronus humi
Nata Deo exclamat: celſis, ò celſior aſtris
Sidereum noſco, quàm benè Diva jubar!
Te mea vota petent, tibi ſacra dicabitur ara
Surgent auſpiciis condita fana tuis
Uretur fumans Nabathæi thuris acervus
Quidquid Oronteo, colligit amne Syrus
Vos mea progenies genus, alto è ſanguine Vatum
Ecbatani colitis qui pia teſqua jugi

Divi-

Diviparam,mora nulla,Auguſtam noſcite veſtram.
Sub labaris noſter militet ordo ſuis.
Quam modo ſurgentem ſublimis ad ardua collis
Cernitis: eſt noſtrum Virgo Deique Satrix
Auguror : hæc puro prolis foret integra partu
Ut ſolet Erithræ gignere concha ſalo
Illius aſtrorum Princeps miretur honores,
Ante ſuos jaceat cernua Luna pedes
Eja age: Nunc largo flores profundite nimbo,
Candida puniceis texite ſerta roſis
Reginæ laudes veſtro ſint jugiter ore
Et reſonent nomen concava ſaxa ſuum.
Sivè caput Titan Eois exerat undis,
Seù Tarteſſiaco gurgite condat equos.
Quin etiam noſtris Saron concentibus adſit
Et Libani cedrino culmine plaudat apex.
Sic ait, & tacito ſub pectore multa revolvit;
Urget fatidicus, nam ſua corda furor
Uſque adeò ſuperis agitur fulgoribus Heros,
Cominus, ut videat fata futura Pater.
Non ævum latitat, venturaque temporis ætas,
Panditur ætherea poſtera luce dies,
Scilicet, ut ſeri venient in ſæcla Nepotes
Induperatricis lecta propago poli

Cujus

Cujus ab auſpiciis Diæque ſub omine Matris,
Carmeli vertex, altius alta petet
Celſa ſuper, Zephiroſque leves, convexaque Sphęræ
Aligerum Dominæ tollere regna ſciet,
Quaque vel Heſperio ſe proluat æquore Phębus,
Aut ubi Mygdoniis mane reſurgat aquis
Terrarum ſpatia extremæ confinia Thules
Ultima calcabit Virgine regna duce,
Effuſoque alii teſtantes ſanguine Divam
Purpureis vittis tempora vincta gerent
Tartareis alii ſpoliantes infera prædis
Geſtabunt meritis candida ſerta comis
Tandem inquit fęlices, queis Capitolia Cœli
Pandent æthereas ex adamante ſeras
Invideo properas palmas, celereſque triumphos,
Et citò victrici parta trophæa manu.
Me manet hoc fatum extremos conſumere Soles,
Inficietque meam tarda ſenecta cutem;
Quippè ſeneſcentis percurrere tempora Mundi
Fas erit, & longæ tædia ferre moræ.
Poſtremos tremulæ cernam telluris hiatus,
Atque ruinoſi fata ſuprema ſoli:
Tunc mihi fata dabunt ſociis comes ultimus addi,
Perque necem, ſuperum nare juvabit iter.

B Redde

Redde diem Titan, ne gaudia tanta moreris,
Profilias celeri Parca cupita gradu
Quando quadrifido fufpenfum robore corpus
Ingeminet nomen fpes mea Chrifte tuum:
Purpureus fundet latices, rofeafque fcatebras
Pectus; fed repetet vox moritura Deum.
Quamquã ò; Sed jã plura loqui vetat entheus ardor
Illius æthereus vifcera torquet Eros
Cœlica Thesbitis depafcit flamma medullas
Ardet, ut accenfa cerea tæda ftrue.
Sed jam tempus adeft antiquas linquere fedes,
Venit & Elyfias hora fubire plagas
Protinus aerio libratus turbine currus
Apparet bijugis follicitatus equis.
Flagrat inexhauftis circumdatus ignibus axis,
Et rota flammiferis orbibus urget iter
Igne jugum, facibus temo, candefcit & umbo,
Et jacit ardentes orbita curva faces
Flammea fpumantes fubducunt plauftra jugales
Eructant ignes naribus, ore focos;
At fubit intrepido Vates incendia greffu
Mira fides! mediis ignibus alta petit!
Illum afcendentem Calvus, nubefque fecantem
Cernit! & igniferos horret alumnus equos!

Quò

Quò properas inquit currus auriga Sionis?
Comprime mi genitor fervida lora manu
Is rapitur : Curru ſonipes ſic æthera tranat
Elyſium tandem ſiſtat, ut ante nemus.
Sunt hic æterno pomaria florida vere
Olim primævo jam reſerata Patri,
Qui mox Tartarei deceptus fraude Colubri
Aſſiduo flevit perdita regna freto.
His neque Pierius furor, aut Phœbeja Vatum
Somnia componant Alcinoi nemora
Auriferas quamvis frondes (ſic luſit Apollo)
Gemmato pariat germine dives humus
Non his deliciæ Heſperidum, nec Adonitis horti
Æquentur, Paphio culta, vel arva ſolo
Sed neque Penei colles, viridantia Tempe,
Aut Tiburtini riſus amenus agri
Aptentur: Sunt ſaxa velut compoſta lapillis,
Aut nigra fulgenti glarea Chriſolito
Hic Platanus, Cedrus, Terebintus, Palma, Cupreſſus
Surgit & in ſolam Pinea creta diem
Tollitur è tenero Vitis dans palmite fructum
Connubio gaudet Populus alta ſuo;
Omne ſed æquevo diſcernitur ordine robur,
Ut manet extenſa ferrea fronte phalanx

Jungitur arboribus vernantis gratia Floræ
    Mille coloratus germina prodit ager
Æmula siderei sunt ignis, & astra lacessunt,
    Sic sine fine suus fulget honore rubor
Passeris hic cantus: Tutis modulamina limphis
    Mellifluo promit gutture blandus Olor
Garrula plumigeræ resonant comitia plebis
    Hic sibi perpetuam gaudet habere domum
Hìc in aromaticos vaga solvitur aura vapores
    Nectareo Zephirus replet odore nemus
Quidquid Achæmenius de cespite carpit amomi.
    Quidquid Panchæo demetit Indus agro,
Succina sivè legant, fruticis seù munera costi:
    Omnia fragranti flamine spirat humus.
In medio Fluvius vitreis ditissimus undis
    Alluit expanso proxima prata vado
Indè quatergemini volitant è fontibus amnes
    Vecturi Oceano plena tributa Patri.
Hos prope Flumineos fluctus ea vivida surgit
    Arbor frondigeras expatiata comas
Vitales ramos, vitalia brachia pandit,
    Mortis & est fructus vincere tela potis
Quippè grauescentes annos, arcetque senectam,
    Et facit ut canis retrò juventa migret

Largitur

Largitur tantum properis ætatibus ævum,
    Filet ut æterno ſtamina Parca cholo
Hic roſeas luces niveo Sol axe reducit,
    Non umquam picei turbinis undat hyems
Non Nemæa nocent rabidis rugitibus aſtra
    Curva nec hybernas amphora fundit aquas
Vere novo placidis ſolvuntur lora Favonis
    Uberis Autumni lucida ſigna tepent.
Denique concordi junguntur tempora dextra;
    Undique tuta quies, omnia pace nitent.
Defluus è curru Vates hæc oſtia calcat
    Igniferoque vias indicat enſe Cherub:
Hæc dum regna colit Thesbites, Muſa quieſcas
    Siſte gradum, rivos prata bibere ſatis.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. ELISEI.

EXaraturus epitomen fastorum Divi Elisei, utar ferè verbis Divinæ Scripturæ, quæ sic ejus gestorum est præco: Monito Elia à Domino, ut per desertum reverteretur in Damascum, utque illuc perventum, ungeret illicò Eliseum filium Saphat Prophetam pro se: Cum Dei monitis obtemperasset Thesbites, reperit Eliseum arantem in duodecim jugis boum, nullàque interposita mora misit pallium super illum, qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. Intereà rapere volens Dominus Eliam per turbinem in Cœlum, ibant ambo Prophetæ per Jordanis ripam, tulitque Thesbites pallium suum, & involuit illud, & percussit aquas, quæ extemplo divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo

per

per ſiccum. Elapſo autem flumine, dixit Elias, ò Eliſee, antequam tollar, poſtula quid velis; reſponditque Eliſeus velle ſuum duplicem ſpiritum; cui Elias annuit conceſſurum, ſi tempore quo tolleretur eum videret. Non aliter evenit; Nam cum incederent ſermocinantes ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in Cœlum, unàque Eliſeus videns clamabat. Pater mi, currus Iſtrael, & auriga ejus. Inter hæc cecidit pallium Thesbitis, collectumque ab Eliſeo percuſſit cum illo Jordanis undas, quæ ſimiliter ut in Elia, diuiſæ ſunt hùc, atque illuc, & tranſiit Eliſeus. Portentum hoc obſtupeſcere fecit Prophetarum filios, adeò ut venientes in ejus occurſum, adoraverint eum proni in terram, atque alta voce clamaverint: Requievit Eliæ ſpiritus ſuper Eliſeum. Tali miraculorum primordio, cœtera, toto vitæ curſu reſponderunt: Nam ferrum, quod è manubrio ſecuris exciderat ſuper aquas Jordanis, enatare fecit. Aquas amarore congenitas materna in ſcaturigine, dulcedine donavit. Neci devovit quadraginta duos pueros, qui parentibus inſtigantibus, Prophetam Dei illudebant, & caluitiei nota exprobabant:

vin-

vindicesque voluit duos Ursos è proximis saltibus egressos, qui tantam stragem patraverint. Cæcitate milites Regis Assyriorum percussit nitentes Prophetam vinctum trahere; cumque sic orbos effecisset in mediam Samariam duxit, apertisque eorum oculis, tantùm de erroribus monitos voluit, benignèque dimisit. Mulieri Sunamitidi sterilitatis infelicitatem deflenti à Domino prolem impetrauit, hancque, absente Eliseo mortuam suscitavit. Tribus Regibus, eorumque exercitibus incolumitatem largitus est: pluviam enim in desertis sterilissimis desuper obtinuit, cujus beneficio sospes servatus est triplex exercitus, moxque Vates ad sonitum Psaltis nunciavit victoriam adversus hostes. Naaman Syrum lepra mundavit recusatis ejus opibus, aliosque lepra contexit, qui meritos honores Deo negaverant. Regum Jezabelis, & Achab exprobavit veteres fraudes, eorumque genus perdidit: Unxit Regem Israelis Jehu, filium Josaphat, cumque jam Eliseus ægrotaret infirmitate, qua & mortuus est, Joas flebat coram eo, dicebatq; Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus. Morti proximus Sanctus Propheta, jussit Regi, ut reserata fenestra, quæ Orientem respiceret,

ceret, ſagittas jaceret, percuteretque terram: Rex verò ter percuſſit terram, impatienſque Eliſeus, illumq; increpans de ſua vecordia monitum voluit, dixitque ſe ignavum fuiſſe in ſagittando: Si enim pluries arcum tetendiſſet, & tela vibraſſet, totam Syriam ſuæ ditioni ſubieciſſet: Mox Sanctus Propheta verè hæres zelotipus ſui Patris Eliæ, animam ſuo Creatori reddidit. Hæc & alia portenta vivens egit Eliſeus, nec defuerunt in morte non inferiores miraculorum tractus, inter quos celeberrimus eſt ille in ſuo ſepulchro concelebratus: tùm cùm cadaver latrunculi projectum in Eliſei tumulum, eo quod oſſa tetigerit Prophetæ revixit, ſtetique ſuper pedes ſuos. Uſque in hanc diem ejus ſepulchrum, miraculorum eſt urna, ad quod ne dum finitimæ, ſed remotæ etiam nationes accurrunt. In illa tumba videre eſt, obſeſſos à ſpiritibus immundis liberari, unàque Dæmones variis brutorum ululatibus conqueri. Sanctiſſimus hic Vates fuit primus amor, primogenituſque filius Thesbitis, ex cuius cœleſti regimine Prophetarum ordo mirabiliter incrementum accepit. Audi de hoc teſtimonium doctiſſimi Jacobi Tiring. Vocatus eſt Carmelus Prophetarum Colonia, ob Eliæ, & Eliſei præſentiam, ex qui-

 bus

bus ordo principium ; & incrementum novit : In Carmine quod ſequitur ferè omnia ſupradicta enumerantur ; ſed Regum victoriam , & miracula poſt obitum ſubſecuta , profuſiori eloquio Elegia per poeticos modulos extendit .

CARMEN II.

Adde ſonum fidibus, ſculpendaq; robore Cedri
Carmina dum meditor, Pieris adde ſonum
Hactenus Eliam tonuere cacumina Pindi ,
Nunc & Heliſeum Phocidis unda canat .
Filius hic Saphat , primus Thesbitis alumnus ,
(Cui geminus rapti ſpiritus hæſit Heri)
Jam Cœlo dignus, Vatis jam dives amictu ,
Linquit araturos jugera mille boves .
Jordanis rapido ponit veſtigia fluctu ,
Et refugas Domini tegmine ſiſtit aquas
Fluminis undantem cohibet quaſi compede molem
Mollis arenoſo margine ripa ſilet .
Melotâ fluvium findit , qui protinus altè
Tollitur : hinc vitreus pendet , & inde liquor
Culminis in ſpeciem bifido dat tramite callem
Tranſeat ut ſicco glauca fluenta pede .

Obſtu-

Obſtupuit Jerico pubes ! Heù clamat in iſto
    Duplex Eliæ ſpiritus ecce manet !
Fortè Paleſtinos deſerta per avia colles
    Viſerat. Ad Solimen, flexerat inde gradus:
Nuncius en querulis feriens ſingultibus auras
    Aduenit, & mœſta talia voce refert.
Te dilecte Deo lacrymarum fontibus accit
    Joram, qui Samaræ regna paterna regit.
Te quoque palmiferæ Princeps ſuſpirat Judæ,
    Joſaphat, ut properes ad ſua caſtra rogat.
Tu ne vota Pater tantorum deſpice Regum
    Flexerunt humiles non ſemel aſtra preces
Ingemuit dictis Vates: age dixit eamus
    Sunt ubi Idumeis credita caſtra plagis,
Nec mora: tranſiliens cinctas indagine ſiluas
    Venit ad Iſacios per ſabuleta duces.
Aſpicit innumero poſſeſſas agmine valles,
    Et vigiles ſuperat Militis excubias:
Ter geminus, promptis eſt hic exercitus armis,
    Ferrato quadrupes calce repulſat humum
Eſt cui quadrigis fas latos currere campos
    Alter cornipedis ſpumea lora capit.
Hìc miles certare manu: ſtudet ille pharetra
    Miſſilia ad certos tela vibrare ſcopos.

Obſtrepit æriſono turmalis buccina cantu,
Signant bellaces timpana tacta notas,
Et reboant colles, & inundant milite ſaltus,
Hic dices, Getici Regia Martis adeſt.
Hæc oculis menſus Vates: Rex obvius illi,
Fit Joram, Tyria quem tegit arte chlamys
Ægide munitur pectus, frons caſſide ſplendet
Stringit ſuſpenſo baltheus enſe femur
Indè genu curvus, lacrymis ſic fatur obortis
Hei mihi; ſed vetuit dicere plura dolor,
Hei mihi mox repetit. Cadimus, non ulla ſalutis
Spes manet, ad caſum ſors inhonora trahit.
Heù heù quid juvit trinos ſimul iſſe Dynaſtas?
Serviat ut famulo trina corona Moab?
Ah ſaltem hoſtili periiſſem Martis agone,
Juviſſet manibus conſerviſſe manus
Iſràel cuneos, & inexpugnabile robur
Irato calcant barbara fata pede!
Arduus Iſacios nos contrà militat Æther,
Et conjuratus porrigit arma polus!
Septima lux rediit, quo vaſtas agmen arenas
Circuit; at ſterilem non niſi preſſit humum
Non fluvius, non limpha patet, non uda ſcatebris
Vena fluit: riguo nam caret amne ſolum

Æneus

Æneus imbriferas nubes occlusit Olympus
Denegat optatas axis avarus aquas
Sic animo languet, pugnis exercita pubes,
Invictas acies sternit anhela sitis.
Nunc ubi ver pulsum radiis Sol avreus egit,
Et cremat æstivus dum rugit arva Leo
Non cubat umbroso defessus fornice Miles
Non trahit è gelido cimbia plena lacu
Arida, sed rabida tabescunt viscera flammà
Heù solum ad lacrymas turbida vena patet.
Liber equus nuper labris ardentibus ignem
Fuderat, ad rivos exilientis aquæ;
Nunc tardo sitiens raptat vestigia dorso
Despicit undantes terga per ima jubas
Pondus iners, torpet sonipes, eques acer anhelat.
Neuter ab alterius munere, munus obit.
Sic nos non æquo frangit Mavorte, Moàbus
Sed petimus duram sorte premente necem,
Atque utinam strictis morerer modo glorius armis
Solamen tantis Fors foret ista malis.
Tu Pater æthereas credit cui Divus habenas
Cœlipotens, aris Tu dominàte suis,
Cujus consuetum patitur mens enthea Numen,
Jugiter & Dio est auris aperta sono.

Affer

Affer opem miſeris, ſummo diſcrimine rerum
Jam poſitis : lapſis tu Pater una ſalus;
Funde preces, ſtellas urge, Cœlumque fatiga,
Fac ſaliant ſuperos thura Sabæa lares.
Erige ſacratas ad conſcia ſidera palmas
Excutiatque manu tela triſulca Monas
Prodigat undantem, pluvius, vel Juppiter imbrem,
Aut reſerat venas terrea Nais aquæ
Olim demerſo Moſes Pharaone rubenti
Æquore, deſertam cum peragraret humum
Marmora dura dedit, ſubitos effundere fontes,
Sciſſa ſilex virgæ verbere rore pluit.
Sudatoſque novos latices plebs arida ſuxit
Cùm vomuit, tactus flumina viua lapis.
Te mandante etiam limphas manaſſe ſalubres
Scimus, & has virus dedidiciſſe vetus
Nuper amarus erat, nunc eſt fons dulcior Hyblæ
Nectare, fœcundo qui rigat, imbre ſata
Es potis imperio ſimili nunc flectere Cœlum.
Eſt aliquid : Tantum vota ciere virum.
Scilicet his precibus, modò fundat amabilis Æther
Quas olim Charitum fudit amicus opes
Hos dedit immixtos inter ſuſpiria queſtus
Rex : Tum præſago ſic ait ore Pater.

Adve-

Adveniat Psaltes, & fila sonantia plectro
    Temperet, auriferam, sollicitetque chelyn
Me circum, citharæque leves, lituique canori,
    Cimbalaque effundent dulce per arva melos:
Extemplo miles positis cum casside telis
    Argutum tenero pollice tangit ebur,
Impellitque lyram curva testudine structam
    Reddidit harmonicos tibia pulsa modos.
Ut Cœlum intonuit fidibus, numerisque sonoris,
    Hæc supero Vates verba furore dedit.
Parce metu Joram, gelidi procul este timores
    Intempestivo corda pavore tremunt.
Auditæ super astra preces. Sitientibus oris
    Effuso latices mox dabit amne polus,
Fundet inhexaustas populis bellantibus undas
    Alveus en vitreis iste tumescet aquis!
Jam Deus iratam retrahit de fulmine dextram
    Mitescunt humili sidera capta prece
Hos meruere tui sparsi de lumine rores
    Aspicis ut tumido gurgite limpha salit!
Vera cano: siccum merges Rex guttur in unda
    Ocius optato pocula fonte cape
Tecum potabit sitiens cataphractus Judæ,
    Cumque loricato milite cursor equus

Macte

Macte animi: majora tibi jam ſidera ſpondent
Læta ſonent feſtis timpana mixta tubis
Ecce tuas circum volitat victoria turmas,
Iamque triumphali ſternitur enſe Moab.
Hæc dicit Dominus; Victricia tempora lauro
Præcinges; ferro gens inimica ruet
Jam video pingues ſtrato procul agmine fruges
Sanguine fœcundis luxuriare comis.
Quin etiam ingenti præcludi mœnia vallo,
Altaque ferrata grandine ſaxa quati.
Te victore domus Joram, murique dehiſcunt,
Structaque præcipitat ſub tua juſſa ſilex.
Omnis honos Urbis vileſcit, inutilis armis
Poſtàc immundus funere pagus erit
O ubi marmorei fontes, & amena vireta?
O ubi vernanti germine prata micant?
Jam turres, ſpeculæque jacent, arceſque ſuperbæ!
Pegmata jam video præcipitata ſolo!
Quidquod & agreſtis nova per magalia Paſtor
Balantes circum compita coget oves
Inveniet galeas per arata novalia Cultor,
Hiſque novam ſtructo vomere findet humum.
Non ſecus ac cedrus, quæ vertice ſidera pulſat,
Mox, ab Amazonia cœſa bipenne cadit,

Sic

Sic ruet ex alto Fortunæ culmine Mesam
Accipiet fastus pręmia digna sui.
Ergo iterate sonos, epinicia pangite nervis
Cantate: Hæc tumidi fata rebellis erunt
Eventu monstrata fides: quæ dixit Aruspex
Attulit elati clepsydra certa senis
Intereà Eoas vulgantur gesta per Urbes
Innumerisque refert Fama peracta tubis.
Addidit ereptum de Mortis falce triumphum
Cessit, ut imperio trux Libitina suo.
Tùm, cùm nigra dies infantem mersit acerbo
Funere, qui mœstæ spes genitricis erat;
Quippè memor pueri prece Sunamitidis orti,
Hunc voluit matri bis tribuisse suæ
Tunc Naaman Syriis Princeps illustrior oris
Clarus erat Martis robore, dives opum
Illius armatam redimivit adorea frontem,
Sæpius implicuit lavrea spira comas,
Et sua milleni fodiebant arva coloni
Immensus nullo limite campus erat
Ditia centeni sulcabant rura juvenci
Area nec segetes, nec capiebat humus
Regis amore potens, multoque potentior auro
Militiæ primus Dux erat Assyriæ.

D Hunc

Hunc tamen immundo fœdabat vulnere lepra,
Serpebat toto corpore dira lues.
Tergeret hanc fruſtrà medicis Epidaurius herbis
Hanc fruſtra ſcatebris Ænara therma ſuis.
Audierat Vatis ſtupidum portenta per orbem
E' Cœlo dixit, noſtra petenda ſalus:
Natus Abelmeula putrem de corpore tabem,
Credo equidem pellet: Non mihi vana fides
Hæc ait,& variam peditumq;, equitumq; cohortem
Præmittit bijugas, quæ regat arte rotas
Nutantes properant currus, rapit eſſeda collo
Curvato vitulus, lentaque plauſtra trahit
Portantur tyrio ſaturatæ murice veſtes,
Denaque puniceo ſyrmata lota ſalo:
His comites, fuſis argentea pondera virgis,
Nataque Chalcidico plurima bacca mari.
Non deerat flavo Panchaja fœta metallo
Quidquid alit rutilis aurifer Hermus aquis
Inſequitur Naaman dives Garamantide gaza,
Quem præeunt variis barbara ſiſtra ſonis,
Ut Samaras adiit vicino jam agmine portas,
Quæ tulimus dixit munera, ferte Patri.
At renuit Vates, auri, argentique talenta
Sint ait à nobis gemmea dona procul

Theſauris

Thesauris inhient capti telluris amore ;
Nam me divitiis attrahit Æthra suis.
Tu Syre Jordanis, vitreo te merge fluento,
Lurida septena corpora terge vice
Sic maculosa tuam lædet non pustula carnem
Mundaque primævo surget honore caro .
Vade age;quæ dudum sprevit medicamina morbus,
Ad tactum fugiet prætereuntis aquæ .
Dux paret . Fluvii conspergit fluctibus artus
Protinus immunda de cute pestis abit
Purpureus nitet ore color , candore nivali
Membra micant , grates solvit & ipse Deo ,
Sed citius recolam , per odora cacumina montis
Tmoli , Cecopriæ quot glomerentur apes
Quot thyma, quot violæ surgant, cũ portitor Helles
Splendet , quot conchas Oceanitis alat,
Quam celebrata feram Divi portenta ; sed illa
Pangere post obitum, nunc mage Phœbus avet.
Postquam fata senex annosi exegerat ævi ,
Et tandem cineres conderet urna pios
Ecce super jacitur tumulum super incubat ossa,
Læthifera Lachesis cuspide tactus homo.
Sentiit ut tactum nigri Rex invidus Orci
Protinus epotas evomit exuvias

Pallida devictæ fugiunt vestigia mortis,
Jam redivivus habet frigida membra calor
Seque cavo promit defunctus marmore vivum
Postque iterum, lucem fata superstes adit.
O Domini virtus! Cœli, Superûmque potestas!
Largiri vitam mortua saxa queunt?
Ipsám etiam Fama est proferre oracula tumbám!
Sæpe dedisse sonos, muta sepulchra ferunt.
Ast Herebus sua damna gemit, scelsisque capillis,
Persephone madidas inficit ungue genas
Bacchatur cineres circum feralis Enyo,
Et rapit anguineas torva Megera comas;
Nam remeare animas ad dulcia munera vitæ
Non patitur Phlegeton, Styx truculenta vetat,
Tartareasque dolet non ultrò linquere prædas
Unde suo semper murmurat ore Charon;
Hinc serpentum animos, rabiem fingitque ferarum
Dum ciet obsessi corpora Semiferi
Nam mugisse boves credas, fremuisse cerastas
Hinc ululasse lupos, inde latrasse canes;
Sed cineres supera cunctos virtute medentur
Omnis energumeni viscere tortor abit
O fœlix tumulus! felicia marmora vestro,
Quæ pretiosa sinu conditis ossa Patris!

At mage

At mage fortunate cinis, miracula tanta,
    Qui ſtruis & Charitum largius imbre pluis
Te meritò repetunt extremo cardine gentes,
    Et meritò fuſis floribus urna nitet.
Quonam ego te cinis æquali dignabor honore?
    Muta ſilet Pindi, Phocidos aura tacet.
Hoc tantum libeat monumento figere carmen,
    Quod Dius teli cuſpide cudat Amor.
Sarcophagis hæc oſſa valent revocare ſepultos
    Hic facit extincta vivere morte cinis.

ARGU-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ JONÆ ORDINIS PROPHETARUM.

JOnam Ordinis Prophetici alumnum celeberrimum, ajunt fuisse filium illum Sunamitidis, ab Elisei precibus obtentum, & ab eodem suscitatum: Hoc tamen cum sacris in litteris minimè liqueat, probabilitatis fides apud Authores remanet. Quod certum: à Deo fuisse prælectum, ut Ninivitico populo pœnitentiam prædicaret. Erat Ninive Urbs magna (quæ modo Babylon) cujus mœnia, vix trium dierum spatio circuibat hospes, & tunc innumeris sordebat criminibus. Restitit huic mandato Propheta, ratus Divinam misericordiam condonaturam genti Niniviticæ, sicque

vel

vel frustrà verba laturum, vel non fatidico spiritu supernam legationem obiturum. Id circò à Divinis vocibus aufugiens, Joppen *descendit, & navem, maritimo itineri promptam, Tarsim versus ascendit, sic opinans à Dei præceptis fore solutum. Cum autem mioparo medium secaret iter, & strata æquora fœlicem cursum sponderent; repentè mota est valida tempestas, cujus sedandæ gratia per nauticum concilium statutum fuerat, ut* Jonam *in tanta procella dormientem, moxque expergefactum in mare projicerent. Ergo ubi suasionibus ipsius met Prophetæ, suum noscentis errorem Nautæ illum in tempestosum projectant elementum, en Cetus immensæ magnitudinis illum viuentem sorbet. Inclusus* Jonas *in visceribus Balenę se maximè reum culpæ confessus est, & triduo in piscis alvo plorans Divinam flexit pietatem. Tandem redditus est incolumis super littore, quando ibi illum piscis evomuit. Fervidior ut malè actum corrigeret, iter arripuit, & Niniviticam Civitatem properantiùs ingressus, illi populo, Divinam indignationem aperuit. At crediderunt Rex, & Ninivitæ, sancto Prophetæ: quà propter in* jejunio *; & cinere profusa gens tota, ipsaque*

ipſaque animalia, bruta eiſdem obnoxia, indulgentiam à Deo, & meruerunt, & impertiti ſunt. Hæc breviter tetigimus cum ſit hiſtoria notiſſima; at profuſiùs Muſa nunc in tempeſtoſo turbine immorans, nunc in Populi jejunio plorans ſuos à ſuo œſtro ducta numeros pangit.

CARMEN III.

NUnc age cœruleas, tumidæ pete Tethyos undas
Muſa: procelloſi, per vada vade maris;
Sed prius aerios Carmeli ſcande receſſus,
Quà Jonas facilem ſternit ad aſtra viam.
Hic illi ſpelunca domus, thorus herbida cautes
E' puro præbet pocula fonte latex.
Sed dum teſqua colit rigido ſub fornice: Numen
Alloquitur Vatem, Sic tonat ore Deus.
Quando erit ut noſtris adamantina corda Ninive
Vocibus effringat? pectora ahena terat?
Ah nimium riguere malo. Magis aſpera ſaxo,
Odryſiáque magis conglaciata nive.
Ah ſatis iratum tenuit patientia fulmen:
Quid juvit trifidas non properaſſe faces?

Debue-

Debuerant Cœli dudum sensisse boatus,
Fulgura flammivomi sustinuisse poli.
Eh genus omne patrat sceleris gens dura: Tonantem
Spernit cuique sua est dira cupido Deus.
Illic nulla fides, furor undique, & undique crimen,
Impietas victrix occupat omne latus,
Scilicet effusis Venus aurigatur habenis,
Cui socio Bacchus fœdere jungit equos;
At superas Astrea plagas fugitiva revisit,
Et soror hæc odit perfida tecta Themis.
Non Phlegetonteas pavet improba turba lacunas
Non timet Infernæ flammea regna Stygis
Proh pudor! æternis noxa occultanda tenebris
Est celebrata viden? (Sole tremente) die!
Quid moror ultrici populum mactare machera?
Cui tonitrus servo, fulmina, tela, faces?
Sæpè reo novit nimia indulgentia; sæpè
Tarda manus ferro, corpore vulnus alit.
Tu celer ad grandis modo mœnia tende Ninives,
Illuc hos imo pectore funde sonos
Jam, jam sidereos penetrarunt tot mala postes,
Ad Domini solium, tot saliere doli:
Sed facinus delesse parat, subitâque ruina
Altores scelerum prostituisse lares:

Quippè quaterdeno, cum Sol remeaverit ortu,
Urbs erit ex imo cardine ſtrata ſolo
Hæc fatur Dominus; Domini tamen ore Propheta
Eripuit ſe ſe, terga deditque fugæ;
Namque ratus placidum,mitem,veniæque paratum
Jacturum vacua fulmina nulla manu
Maturare fugam Tharſis meditatur Eoam,
Sic vitare ſui Numinis ora putat.
Nec mora littoreas Joppes deſcendit ad oras
Tendentem Tharſis, invenit inde ratem.
Roſtratam ſcandit puppem, pictáque carina,
Æquoreas findi remige geſtit aquas.
Suppara mox turgent Zephiris, lenique volatu
Cœruleum Nautis aura ſecundat iter.
Tùm ſubitò nox atra furit, ruit æquore toto
Tempeſtas nimio ſpumat & unda freto.
Exoritur pelagó nimbis glomeratus Orion,
Jamque fluentiſono gurgite ſævit hyems
Eolii fracto, promunt ſe carcere Venti
Frontibus adverſis mutua bella gerunt.
Confligunt, Caurique truces, Boreæque minaces
Hic Notus, Auſter ibi prælia ſæva cient
Africus ex imis conturbat ſedibus undas;
Aſt indignatas plus citat Eurus aquas

Criſpa-

Crispatum dices nunc sidera verberat æquor
    Dytis idem refluum lurida regna petit
Nautarum gelidos ingens tremor occupat artus.
    Purpureus toto corpore sanguis abest,
Quacumque aspiciunt, nihil est, nisi mortis imago
    Expectant tumulum, fluxile marmor aquæ
Ipse ratem ducens alta de puppe Magister
    Naufraga, sed frustrà ponere vela jubet.
Imperat in vanum, remos, clavumque regenti;
    Nam fert insanus per mare verba Notus.
Inde ait: unde novo manet orta procella furore?
    Cur intempestus nunc vada Caurus agit?
Nereidum, Phorcique Choros resilire per undas,
    Non ego conspexi, non resonare salum.
Spondilus haud scopulo, saxo nec adhæsit echinus,
    Proxima non adiit littora fusca fulix
Ante nec instabilis rubuerunt cornua Phœbes
    Palluit, aut Fratris funere tristis Hyas.
Forsitan hos triplici Neptunus cuspide fluctus
    Asperat? an glauco regna tridente movet?
Quid moror? (auxilio nil enim nisi vota superstunt)
    Numina nunc multa sollicitate prece,
Quisque suo superos veneretur corde Patronos,
    Et patrium supplex invocet ore Deum.

Scilicet ut ſtrato ſubsídant æquora ponto,
Sævaque ſpumoſæ Doridis ira cadat
Hæc fatus : Palmas omnes ad ſidera tollunt
Immixtus lacrymis, clamor & aſtra ferit.
Interea poſitos Jonæ ſopor irrigat artus
Olli ſubrepens lumina ſomnus agit,
Quem lybico potuit non ſolvere murmure Tipho
Rumpere, vel rabidi ſibilus Oceani,
Ergo illum rigido, Rector ſic increpat ore;
Nunc ubi mors ſupereſt, nat tibi tuta quies?
Nonne vides quanto Portumnus gurgite creſcat!
Verberet ut quaſſam, flatus, & unda ratem!
Surge age cum reliquis Cœlum, Divoſquè laceſſe
Fortè tuum poterunt vota ciere Deum.
His Jonas: ſalſo me me demergite regno
Irato Juvenes, me tumulate mari
Ipſe ego ſolus ſum intempeſtæ cauſæ procellæ
Ipſe etiam merear piſcibus eſſe cibus.
Ilicet à Domino fugi, cui ſumma poteſtas,
Qui mare, qui terras temperat, aſtra regit.
Non ego vana loquor, me me ſepelíte profundo
Deponet juſtas protinus unda minas:
Ergo ubi ſors cecidit Jonam ſuper: illico Vatem
In mare præcipitem Nautica turma jacit.

Ecce

Ecce autem pelago veniens Atlantide, Cetus
Immani liquidum corpore verrit iter
Pone natans rictus tollit: Vasto oris hiatu
Ex alto jactum robore sorbet onus.
Inde putes subitò mitescere marmoris æstus,
Ferales animos deposuisse Notos,
Et ponto totum Nerei cecidisse fragorem
Sic placidum tuta sternitur æquor aqua.
At Jonas teretem balenæ adlabitur alvum
Spiramenta animæ, viscera, vivus adit,
Quippè procellosas ubi decidit ictus in undas
Secretam piscis sentit in ore domum,
Impavidusque sedet squamoso corpore Vates
Æquoreas cernit dum nil obesse minas
Findebat rabidi pelagus secura pericla,
Ut putat in somnò verrere Nauta salum,
Nam non pistris edax, malè sorpserat ore Prophetam
Debita nec fuerat faucibus esca suis
Ter Pater Heliadum roseo temone quadrigas
Duxerat, & rutilo vexerat ore diem,
Ter nox atra polum stellis ambita tenuerat,
Altaque luciferi texerat umbra jubar.
Tunc è squammiferi latebroso carcere ventris
Ad Dominum Jonas talia verba tulit.

O opifex

Ô opifex rerum, superi regnator Olympi,
Qui regis æterna cœlica sceptra manu
Dum me funestæ jactarent undique clades,
Et fureret densis fœta procella malis
Ecce tuas noster volitavit clamor ad oras
Ad te spes rapido remige tendit iter,
Et tu non surdas flexisti vocibus aures
Illicò, sed famulæ, te tetigere preces
Me pelagi Syrtes, salsiquæ vorago barathri
Obruerant, imum presserat unda caput,
Nec non extremi vallarant carcere montes,
Meque repentino clauserat ore solum.
Ipse tamen medio stygiæ tumulatus abyssi
Læta meo gessi vota vovere Deo:
Ad tua confugiam sperans altaria dixi
Fundam solemnes ad nova fana preces
Thura dabo, Cyliçis adolescent *ignibus* aræ,
Imponamque sacris exta cremanda focis
Numinis accenso, laudum jaculatus amore
Carminibus Vati reddita fata canam.
Hæc Domino pendam, voti reus orbe quotanni
Donec torta cholo stamina parca trahat.
Vix ea fatus erat (mandante Tonante) per undas
Aligeris squamis littora Cetus adit

Illic

Illic abſorptam projectat bellua prædam
    Accelerans liquidas, per vada nota vias
Extumulatus aqua Vates pede preſſat arenam
    Excipit humentes arida terra gradus,
Moxque iterum, ſupero compulſus Numinis ore
    Quà Ninives ſurgunt pergama, tendit iter
Urbs eſt hæc altis circumdata turribus, illam
    Plurima de Tigridis flumine turba colit
Vaſta ſuis adeò ſpatiis, ut luce viator,
    Vix triplici poſſit mœnia circuere.
Hic Regis Superum minitantes indicat iras,
    Et canit exitii proxima fata ſui.
Credidit at Cœli gens territa vocibus: Ipſe
    Rex ſolio ſurgens fletibus ora rigat
Exuitur chlamydem, ſqualent è pulvere crines
    Regia ſetoſo tegmine membra tegit:
Quin etiam diuturna pati jejunia mandat,
    Excluſo prohibet fonte levare ſitim
Extemplo Populus ſcabroſi veſte Cameli
    Velatur, menſæ pabula nulla parat
Numina ſollicitat cumulans altaria donis
    Porrigit ad ſuperas brachia tenſa plagas
Cœlipotens donec gentem miſeratus ab alto
    Induerit placidus mitia corda Pater

Conti-

Continuit pietas fulmen, deferbuit ira
    Indignata Dei pectora mulsit amor
Credite fata Deûm flecti sperare precando
    Æthereum possunt vincere vota Jovem,
Sed nos non modicum numeris sulcavimus æqnor
    En vicina vocant littora: Phœbe vale.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Dies natalitius Præcursoris Joannis Baptistæ, si universæ Ecclesiæ festivus elucet, festivior Elianæ familiæ resplendet, semperque resplendebit. Præcursor enim Joannes, non semel ab æterna ve-

na veritate Elias vocatus est, ipsumqe in virtute Eliæ multoties venisse à Christo prædicatus est. Insuper Prophetici Ordinis instaurator est promulgatus, tum, cum Eremiticæ phalangis ab Elia progenitæ, quæ prope Carmeli, Jordanisque fines degebat, in lege gratiæ Antesignanus est appellatus. An autem sequestra censuræ nota, nuncupari possit primus Generalis Carmelitarum post Salvatoris adventum, an verò director incolarum Carmelo viventium aliis judicandum remitto. Mihi profectò semper complacui ab hisce litibus abstinere. Quod luce meridiana clariùs: Joannem à nostro Ordine singularissimum recognosci Patronum. Imò in nostris Eremis, diem hunc inter cœteros festivos Principatum obtinere adamantina lege statutum invenitur. Aliis autem Conventibus nostræ Congregationis Excalceatæ moris est, primo mane hujus ad Eremitorium (quod in unoquoque Monasterio reperitur) pergere. Ibi altare concinnè constructo floribus illud comere labor est fervidi tyronis; nec non mirtetis, odoriferisque graminibus pavimentum tegere, ut undequàque Sabeam expiret auram, argumentosæ juventæ industrius est sudor. Mox litatis sacris, Divinaque sinaxi refecto

Adolescentium cœtu, omnium est opere pretium musica tangere instrumenta, queis sacræ cantiunculæ in Baptistæ encomia commiscentur, præsertim, quæ in ejus celeberrimam Vitam feruntur. Inter harmonicos numeros, interque melicos concentus, nostra licet cantu tenuissima Camena, sic obedientiæ gratiæ, vitam, gestaque Præcursoris commemorans cecinisse olim meminit.

CARMEN IV.

Dive potens tacitæ fregisse repagula linguæ,
Et solvisse senis vincula muta patris.
Dum tua Carmelus recolit cunabula: Solis
Dum te Divini Luciferum celebrat:
Da mihi Zacharide calamo trivisse labellum
Quadriforique manus incubuisse sono
Cernis ut è variis argentea lilia nodis
Plebs sacra componat, picta roseta struat?
Utque levi cœdat mirteta virentia ferro.
Mixtaque cum cythisis alba ligustra legat?
Scilicet effusis surgant altaria sertis
Dædala, quæ multo flore corolla tegat.

Aspicis

Aſpicis ut calamos inflet (queis cimbala dupla
Sunt comites) lituis æmula buxus hiet?
Ecce tuis pubes ſupplex advoluitur aris,
Et centum geminos tollit ad aſtra ſonos
Davidicas illum juvat alternare Camenas
Iſte Paleſtinum pollice tangit ebur
Plaudite Cœlicolæ reſonant è collibus. Imæ
Hæc repetunt valles, plaudite Cœlicolæ.
Et tibi de patula ſuſpendant timpana fago
Harmonicumque dicat lætus Alexis opus,
Quandò igitur te cuncta canunt benè ſiſtra Joannes
Æthere de ſummo tu mihi dexter ades.
Et me raucifera diſperdere verba cicuta
Ne pudeat; gracilis carmen avena ferat.
Idalios inter Cycnos, Phœbique ſorores
Stridentem ſtipulam, me ſociaſſe juvet.
Quod ſi noſtra tuis flammeſcent pectora donis
Mota ſed & ſupero ferveat igne fibra;
Non me Threjiciæ teſtudinis aurea movebunt
Barbita, biſtonias, quæ rapuere feras,
Illa licet glacialem Hemum, gelidoſque Triones
Deſueto dederint igne calere polos,
Nec me Dircæi dulciſſima plectra ciebunt
Vatis. Echionias apta vocare petras

Ista licet melico fundarint murmure Thebas,
Quemque sonum fuerit spontè secuta silex:
Nam canerem quāto gravidum pluit ubere Cęlum,
Quanta tuis nexit Gratia serta comis.
Eja age. Maturis jam septima Solibus æstas
Vexerat arentis sidera sicca Canis,
Et totidem gelidis Aquilonis fluxerat alis
Obdurans glaciem frigore tristis hyems.
Tum tu, degeneres luxus, commercia vana
Osus, sancta licet tecta paterna fugis
Despicis è Pario, sublimes marmore turres
Exuis è tyrio vellera texta colo
Horrendo silvæ nemori, succedis Ephebe;
Teque juvat graciles figere rupe gradus
Sunt ubi prærupto constructa sedilia saxo
Surgit & excisa concava caute domus.
Faucibus angustis multo specus obbice pendet;
Quem super ilicei roboris umbra cadit
Hic tu primævæ metiris tempora vitæ,
Et comitante fera lustra casasque trahis;
Sed teneros artus, mordet gibbosa Cameli
Endromis, hirsutis undique texta pilis
Baltheus est olidæ pellita lacerna capellæ
Lactea, quæ rigida cuspide membra ferit

Saxa

Saxa inter, rupesque ; scatentes melle myricæ
Te pavere, tulit sæpè locusta dapes.
Quique sibi nulla fons egerat arte canales
Haustibus exiguis pocula parva dedit.
Prodiga, sed nimii descendens gurgitis haustu
Numinis ubertas plena fluenta pluit
Nutriit illa tuam cœlesti nectare mentem
Ambrosios animo, fudit & illa favos.
Aliger ut fama est pia visere tecta frequenter
Gestiit, alpestres, & coluisse plagas
Æthereæ linquens stellata palatia sedis,
Te docuit dia fundere vota prece,
Et melior Chyron silvis, sapientior illo,
Concava sidereas duxit in antra scholas
Hoc studium tibi Dive fuit, vel pectora pugno
Tundere, vel lacrymis immaduisse sinus.
Tunc ipsæ cœpere feræ mansuescere : sævas
Hospitis ingenio dedidicere fibras.
Invenere fidem, siluis quæ Thracius Orpheus
Olim Strymoniis monstra patravit aquis ;
Nam juxtà Lybicos, non territa cerva leones
Et tygrides juxtà parvula dama stetit.
Immixtique simul lepori lusere molossi,
Nec timuit diras mollior agna lupos,

Sed

Sed nec aves cessere feris, cum Turture, Milvus,
Accipitri cantus juncta Columba dedit.
Ismariæ non hæc cytharæ portenta fuerunt,
Nec Getica credas, hæc celebrata lyra,
Sed vitæ integritas, expers, & criminis ævum
Sub casto mulsit noxia bruta specu,
Ipsaque silvanis veneranda infantia Faunis,
Fraterno rabidas junxit amore feras.
Non sic Tęnarijs emersa paludibus, æquo
Hæc potis est oculo lustra videre cohors:
Sueuerat hìc olim, furvo plaudente Senatu
Cimmerios Erebus composuisse jocos
Cùm nova pallentes veheret Latonia noctes,
Et tegeret tenebris Lathmia Diva polos
Tunc inferna phalanx (Satyros delusa vetustas
Credidit & Dryades) advolitabat agros.
Concilium infelix, humana in damna ruebat,
Gaudebatque suos enumerare dolos.
Ah quibus hic furiæ, quantis risere cachinnis
Quot Phlegetontęis, gestiit aula sonis:
Tum cum vipereis redimita Megera colubris
Primævi retulit noxia damna Patris?
Ut vestita dolis, & imagine tecta Cerastæ
Ad vetita induxit tendere poma manus?

Mox

Mox majore nemus replerunt monſtra triumpho,
Aſpexere ſuis aucta trophæa plagis.
Neſcia cum movit, geniis immitibus actum
Fratris ad interitus arma rotare Cain.
Sordida ſanguineum tunc primò terra liquorem
Obſtupuit, fluidas & bibit ore roſas,
Vel cum cara Deo quondam Ciſſęa propago
Inde (nefas) tempſit Numina dia Saul
Seque ferit tandem, latoque ex vulnere ſurgens
Rurſus in arma ruit, corde mucrone ſecat.
Vocibus his ſtygio ſonuerunt culmina plauſu,
Hæc loca lethæis obſtrepuere tubis:
Aſt ubi lecta puer coluit ſpelęa Joannes
Mutato nituit ſquallida terra ſitu.
Illicò Tartareæ vitarunt teſqua Meduſæ
Fugit Perſephone tacta dolore ſpecus
Capripedum genus, & cornuta fronte catervæ,
Eructanſque truces ore Chimera focos
Omnes deſerti liquere cubilia luci
Verterunt celeres ad ſtyga retro gradus,
Sed ſenſere pium ſilvæ, latebræque Colonum
Lætata eſt tellus Agricoláque novo
Incubuit Philomela plagis, manibuſque quievit
Sæpè tuis, vernum vel dedit ore melos

Biſtonis

Biſtonis hinc ales intexuit organa cannis,
Et prope te teneros ſumpſit alauda cibos
Inde ubi ter denas jam videat area meſſes,
Currerat & ſenas Phœbus Olympiadas
Te juvat alpeſtres deſerti linquere ſaltus,
Dilectum ſuperis deſerüiſſe larem
Judeæ placet ire ſolum, patrioſque penates
Viſere, quà Samaris tollit ad aſtra domos
Obvia turba ruit: Dio tunc percitus œſtro
Ignita populis talia voce tonas
Abramidum Soboles, genus alto è ſanguine Vatum
Impia cur nimio corda rigore gelant?
Neù vos pœniteat tundenti pectora palmæ
Tradere, neù ſciſſas imbre rigare genas.
Ardua ſiderei diſtat non Ætheris aula
En propè nos Cœli regna beata manent!
Vos aptate viam domini, vos ſternite callem;
Tendenti pateat ſemita plana pedi;
Quæ mora Viperea ò proles, aut nata Chelydri
Semine? nonne brevi làbitur hora die?
Arboris eſt imis radicibus icta ſecuris,
Credite: cœſa ſimo robora celſa cadent.
Quod ſi pietatis vos germina nulla feratis
Ibitis ad ſtygium ſarcina jacta focum

Scin-

Scindite corda: Sacras agnus tener imbuet aras
    Fumiget Aſſyria pinguis acerra pyra.
Myſticus è Cœlo terras adlabitur Agnus,
    Noxia qui mortis debita ſpontè luit
Panduntur ſuperi, disjecto cardine poſtes;
    Nam cecidere poli ſtructæ adamante feræ.
Sic ait & gentes luſtralibus abluit undis
    Jordanes tacito quà piger amne fluit.
Intereà vitreos labenti gurgite fluctus
    Nazareus curſu præpete tranſit Herus
Aſpergique petit nitidiſſima corpora limpha,
    Et fluido ſanctum tingier amne caput.
Quis tibi Zacharides hauris dum talia ſenſus?
    Qualis ad hæc ſubitus non ciet ora tremor?
Obſtupefactus ais: Proles ò æqua Tonantis
    Uſque panompheo creta propago Patre,
Quem pavitant cæcis Plutonia regna cavernis,
    Et cadit ante tuos Styx tremebunda pedes;
Candidior Cœlo, puris, & purior aſtris,
    Ut quid Jordanis glauca fluenta petis?
Me fluvii decet hac aſpergine ſumere rores,
    Ipſe tua capiam vera lavachra manu.
Chriſtus ad hæc. Sine me fluido conſpergier imbre
    Perfundatque meas Nais aquoſa comas.

G   Tu pa-

Tu pares: refluàque ſacrum caput abluis urna;
Attamen haud Agnus, lota ſed unda fuit.
Tunc axis patuere fores, ſpeciéque columbæ
Lapſus es æthereo Spiritus alme tholo,
Intonuitque polo vox hæc diſtincta per auras,
Altaque mellifluos aſtra dedere ſonos.
Hic mea progenies, magnum Patris incrementum,
Quo ſine nil terris gratius, axe nihil.
Demùm ubi fata vocant. Galilæi limina Regis
Intrepido ſcandis prodome Dive gradu.
Exclamas thalamos fuge Rex, connubia vita,
Fratris ab erepta conjuge tolle thoros.
Non hic caſtus Hymen, nullo ſunt auſpice tedæ,
Odere incœſtas Numina ſancta faces,
Vocibus intentas Herodes porrigit aures
Fœderis, & fœdi rumpere vincla parat;
Improba, ſed Dipſas, Cociti paſta palude
Eructans virus fœmina turbat opus
Hæc vocat indignam tali non Matre puellam
Ad citharæ doctam membra movere fides
Quam choreas agitare juvat, ſaltuque ſalaci
Inter Convivas regia corda rapit.
Horreſco referens, ſaltans Herodias unum
Baptiſtæ collum prœmia digna petit

Quid

Quid faciat? magno curarum fluctuat æstu
  Cor Regis, timor hinc, pugnat & inde fides
Vincit at impietas: Caput à cervice resectum
  En positum disco sæva puella gerit.
Proh scelus! infandas inter convivia mortes
  Misceri! Bacchi nare cruore merum!
Ecquando Scythicis arsit gens barbara mensis
  Sanguine perfusas commaculare manus?
Sed mihi quis poterit lacrymas cohibere cadentes
  Jam pridem recolens hæc, riguere comæ
Nunc gemitus plectum jugulant, suspiria carmen,
  Et vincunt fletus, Bellorophontis aquam
Desino: ne lætas confudam funere cunas,
  Festaque lux, vitæ sit tenebrata nece.
Intereà superæ persla, tu lucis amores
  Carmelo: Natos respice Dive tuos,
Quandoquidem mulcet si pro natalibus auras
  Dulcisonis numeris gens operata sacris:
Tu precibus Baptista tuis da scandere Cœlum
  Aligerûm citharis psalmodiàque frui.

ARGUMENTUM ET EPITOME VITÆ S. TELESPHORI.

TElesphorus natalibus Grajugenus, adeò virtutum radiis efulsit, ut Romani Pontificatus apicem ascenderit. Mirus profectò evolàtus, de Carmeli radicibus, in quibus anachoreticam vitam agebat ad septemgeminos Romæ colles, ibique in Vaticano culmine triplici infula coronari! Tantæ quadrarunt dignitati candidissimi ejus mores, & sub tanta mole robustissimus Atlas, leges, & jura sanctissima decrevit. Quippè quadragesimale jejunium, tota in Ecclesia sancivit, Clericisque hoc tempore jussit, noctu, diuque in vigiliis, & orationibus insudarent. Decrevit item, ut in ortu Bethlemitici infantis tria sa-

cra

cra ab unoquoque Sacerdote conficerentur . In primo adveniente media nocte, celebraretur memoria, quandò Mundi Salvator in antro Bethlemitico, dum Luna medium iter peragraret, inter ulnas Mariæ Virginis, beatissimæ Parentis primęvas ebibit auras, & à vigilantibus Pastoribus est adoratus . In secundo properante ortu Auroræ instaurarentur sollemnia, quando tres Reges Magi, Auroræ plagas incolentes, stellę ductum secuti fuerint, & populis Orientalibus magnum Regem ortum esse ostenderint, quem etiam muneribus recognoverint adorantes . In tertio, sub hora diei tertia, ut recoluisse juvaverit illo tempore diem redemptionis nobis illuxisse, axemque totum Angelicis cantibus personuisse, quin & totum terrarum orbem cum Cœlo fœdus iniisse . Istas aliasque dignissimas statuit ordinationes, & tandem sub Valentini tempestate, dum Idolatriam, hæresimque jugulare conatur à Gentilium populis interficitur, sicque tergeminis Coronis aliam martirii auxit . In hoc carmine illud tantum poetico plectro tangitur institutum, indictæ scilicet celebritatis trium Missarum in ortu Salvatoris, & describuntur prima sollemnia, & ab ipso litata sacrificia,

crificia, sub Luna, sub Aurora, sub Sole, in cujus lætitia nostra elegis ter profusis comis tripudiat.

CARMEN V.

CLaviger astrorũ Telesphore, panditur Æthræ
Cui meritum redimit terna corona caput,
Et septemgeminos Carmeli culmine colles
Advolitans, Petri dirigis Urbe ratem.
Sermones, Suadamque tuam modulabitur alter
Trina canam ipse una luce, statuta sacra.
Tempore Nazareum peperit, quo Virgo Tonantem
Annua dum verso volvitur axe dies.
Sacra canit Vates. Procul ò procul este prophana
Omnia nascenti sint operata Deo
Incipiam. Bona Nox salve, Nox aurea, stellas
Quæ regis æternæ cyclade, tecta facis
Non Titane minor, roseo cum fulgidus ore
Eoo rutilos littore jungit equos.
Vade super Zephyrorum alas, redimita corollis
Plejadum, i tenebris Nox inimica tuis,
Scilicet æthereus gremium tibi pandit Olympus,
Et tibi ridentis mi[l]irat aura poli.

Cernis

Cernis ut aſtrorum cœtus pauet ardua Cœli
    Nare, tuo majus dum notat ore jubar!
Avius hinc errat, dubiis trepidatque choreis,
    Et queritur tardum ſurgere Luciferum.
Cernis ut Eoa veniens Pallantias ora
    Supplicat! ut pedibus fert diadema tuis!
Ponit ut ambroſiis nativum crinibus aurum!
    Cernua purpureas, linquit ut illa faces!
Quippè tuos ſtupet ad radios, flammaſque, veretur
    Nunc iterum gemina fulgere luce ſolum.
Inclyta Nox nimium divini prodiga Solis
    Nox bona ſidereæ prodiga pacis ades
O' quæ Stelligero ſpectaculo dia theatro,
    Quas utroque novas cardine pandis opes?
Sedula tù nutrix tu pronuba Virginis adſtas
    Prodit ab illæſa cùm Genitrice puer;
Namq; ubi cuncta ſilent, cũ poſſidet Heſperus Octã,
    Et ſalit ad medium Cinthia verſa polum
Mira fides! rigida ſcabri ſub margine montis
    Bethlæa parvus naſcitur arce Deus.
Excipit hunc latebroſa ſpecus, ſine nomine ſaxum
    Aridaque immenſum Numen avena fovet
Procidit aſt infans, niveæ ſine labe Parentis
    Traijcit ut vitreas vi ſine Phœbus aquas,

Vel

Vel cum poma cadunt maturo Virginis aſtro,
Illa ruunt ulla non quatiente manu.
Sed tu quale jaces puer ò pulcherrime rerum?
Hei mihi nudus adhuc lactea membra teris?
Dive cubas folijs, rigidis ſeù fultus ariſtis?
Stramineumque locant hiſpida fœna thorum?
Non eſt qui famula detergat Najade corpus?
Non qui brumali vellera ſternet humo?
Sola faves Nox alma tuo, Dominoque, Deoque
Officioſa manu Nox bona ſola faves;
Virgine namque ſatum fuſcis amplecteris alis,
Et noua ſtellato parturis aſtra polo
Lumine quo monitus, volat ad præſepia paſtor
Dum vigilat pecori ruſtica turba ſuo
Aurea ſæcla geris Nox, Saturno meliora,
Quæ licet hybernos germine pingis agros.
Ritè ergo ad templum peragat nunc ſacra Sacerdos
Si medium Cœli nox bona ſcandis iter
Inſtituit pietate Vir, inſigniſque tiara
Theleſphor facti liba verenda memor
Ante aras prior ipſe retectus veſte nivali
Quam tegat ignito compta phlegonte ſtola
Solemnes de more preces mox carmina Vatum
Concinit, inde ſacrum Nativitatis opus

Offert

Offert aurata ſecretior azimon urna,
    Et mixtum latici (myſtica dona) merum
Ecce autem (propiore Deo) fit Numine fœtus
    Intonat ecce ſonos, eſt Deus, ecce Deus
Idem ſtelligero delabitur axe Dynaſta
    Ima quem genuit Sponſa Tonantis hara.
Sed jam ſera licet, venit Tithonia conjux,
    O' quam pulchra oculos! quā benè pexa comas!
Majores non paſſa moras, linquenſque çubile
    Matutum, reſerat, ſuccida rore diem
Purpureas agitat croceo temone quadrigas,
    Elyſiaſque vago prodigit amne roſas
Expectata veni : viden, ad delubra Sacerdos
    Maximus ut reméet! duplave ſacra paret!
Ille quidem triplici redimitus tempora ſerto
    Aptavit talo carbaſa criſpa tenus
Fulget ubi ſtructis Nereica bacca figuris;
    Et picturatum ſtamine vivit opus
Inchoat æthereæ veneranda piacula menſæ
    Ad primum nato de Pyroente jubar.
Mox parit ore Deum, jam Numine veſcitur illo
    Sic geminaſſe juvat mane favente ſacrum
Si neſcis Aurora, pios lætamur ad ortus,
    Scilicet evicti prolis amore tuæ

H   Tunc

Tunc cum Memnonii Reges, Nabathæa propago
Bethlemum ſoliis præpoſuere ſpecum
Semper erit nobis lux iſta verendior illa,
Proſpera naſcentem quà tulit Ida Jovem
Vos modò Pierides, Reges ſtipate Sabæos
Prævia dum monſtrat lumine ſtella vias
Addite vos comites numeris; numeroſaque Cyrrha
Par animo properet, fax ubi ſignat iter
Aonias excite lyras Heliconidis Echo,
Veſtraque non deſint munera muneribus
Ergo Eoa cohors, patriam Garamantydis Æthram
Liquerat ad nati ſideris auſpicium
Ibat trina cohors Regum, quibus omnibus unum
Non erat os, ætas non erat una tribus
Ante alios ſeris metitur greſſibus arva
Longævus placidi tergore vectus equi
Melchior eſt iſti nomen, cui plurima mento
Canities, frontem ruga ſenilis arat
Non aurum, non gemma ſenem nimis ornat, at illũ
Contegit in tereti veſte togata chlamys
Trans Arabos montes, rubri trans littora ponti,
Æthera trans Cylicum patria ſceptra gerit
Strenuus inſequitur, cui eſt matura juventus
Balthaſſar, rufas, nutrit & iſte comas

Murice

Murice quam clarus! rutilo quam fulgidus auro!
Quam ſceptro placidus! quam patet ære ferox!
Martius huic ſonipes ſervit, cui cederet Æthon
Cum celer hinnitu ſidera victa fugat;
At moderator, equum rigidis parere lupatis
Imperat, & nutu ſubdere colla jubet.
Hunc Amphytrites colit ora noviſſima Tharſis
Torquet ubi ſcapulis æthera fultor Atlas,
Et famulatrices cenſu deſpondet Hydaſpes
Quas ſub gemmifero vortice condit aquas
Tertius eſt Gaſpar, ſic illi nomen avitum,
Cui fuſco pingit flore juventa genas
Quadrupedem premit hic facilem parere Magiſtro;
Nam patitur tenera ſpumea frœna manu
Sublimem phaleris chlamys indica velat Ephebum
Adſtringit vario carbaſus orbe caput
Gemmeus auratum ſuſpendit baltheus enſem
Tota ſub oſtrino tegmine palla fluit
Huic latum imperium Nabathæus paret & Eurus
Subdunturque ſuo Caſpia regna jugo
Æthiopum quoque torrida gens Gangetyde Gaza
In nodum crines torta, miniſtrat opes.
Poſt ſequitur famulantum exercitus ordine longo
Tergeminus, bijugas qui vehit arte rotas

Bosphoriæ merces, plaustris portantui opimis,
Eruta de venis aurea dona Tagi
Thurifero vehitur Panchaja munere dives
Quidquid Achemænio colligit orbe Syrus,
Et lacrymata venit teneræ de cortice mammæ
Persepolitani stactea mirrha soli
It Meroes sacranda rogis, it odorus Orontes,
Vectus it aurifera ditior Hermus aqua
Ventum erat ad Dium præsepe poli indice flamma
Vagit ubi natus Virgine Numen homo
Desilit in terram velox Tithonius hospes
Non secus aerea fulgur ab arce ruit,
Et puerum Cœli Dominum cum Matre salutat
Ante suum curvo poplite flexus herum
Non retrahit Reges, quod stamine fultus agresti
Sub plicitis infans restibus ille gemat
Marmora, quod desint phariis innixa columnis,
Nec niteant altis gemmea fulchra thoris
Nam generosa fides cœco videt omnia vultu,
Nec quit inops verum fallere forma Deum,
Tum tuguro diadema locant, positàque corona
Expediunt plena munera terna manu.
Porrigit hic aurum, mox thurea prodigit ille
Grana, alius pateris mirrhea dona gerit

Quippe

Quippe Sacerdotem thus monſtrat; at aurea virga
　　Regalem Dominum, mirrha ſepulchra notat,
Sed nova quæ lætum reſerat proſcenia Cœlum?
　　Inſolitum feſto quid micat axe jubar?
Auroræ triplex ſuccedit Phœbus, & auctam
　　Lampada, (dum trino fulgurat ore) vehit
Tres Ego nunc video Titanas fulgere numquam
　　Lucidiùs, pexos vel meliore coma
Exere ter geminos Sol aureus exere vultus;
　　Terque tuam flavo vertice pande facem.
Nos quoque ter geminos aris cumulamus honores
　　Ternaque pro terno lumine ſacra damus.
Surge age Carmeli, terræ totius & Atlas
　　Interpres Divûm, lumina trina præi
Indue ter ſacros comptè tunicatus amictus,
　　Terque tuum niveo ſtamine ſtringe femur
Gemmea diſſiliat prolixo ſyrmate ſindon
　　Divite carbaſeos, quæ tegat arte ſinus
Et Cereris, Bromiique recens pia dona ſacello
　　Componas, uno ter cumulanda die
Obtigit: Ad calicem Chriſtus deſcendit Jacchi,
　　Cum Pater exilem promit ab ore ſonum.
Sicque Ceres niveo ſtans perſonata cothurno
　　Tradit in exiguam Numina celſa dapem

Hinc

Hinc ſatis indultum ſacris ter ritè litatis
Plena figurarunt gaudia Solis equi
Hæc memor inſtituit, pandens Carmelius Heros,
Quàm ſupero fœlix lux fuit illa polo
Aligerum tùm cùm lætans examen, Olympo
Dulcibus inſonuit carmina blanda modis.
At precor Aonides, hilarem nunc pangite cantum,
Angelicus, ſupero quem ciet axe chorus
Funditur Æthereis legio lectiſſima valvis
Strataque perpetuo regna adamante replent
Pars calamos inflat, cytharam, buxumq; loquentem
Pars digitis pulſat, parſque flagellat ebur
Tum verò Bethlema ſuper fœnilia ſiſtunt
Agminibuſque ſuis ſaxa beata fovent,
Atque ubi ſpeluncam denſa cinxere corona
Cœlicolæ melicis ſic cecinere ſonis
Gloria ſidereis ſit ſedibus: Æthere toto
Perſonet, atque Deo, gloria tota vacet
Io ſtrepet feſtum, Pæan, Pæanque canatur
Geſtiat æternùm, geſtiat axis Io,
Nec non terrenum, pax aurea circuat orbem
Sit repetita polo gloria, paxque ſolo
Incola pax gemini compeſcat limina Jani,
Paxque bonis referet gaudia nata viris

Emicuit

Emicuit jam plena dies, Orbiſque redempti
Lux nitet, ad terras cœlica fata volant
Vos fortunatos, quibus eſt armenta regendi
Cura, vel errantes ferre per arua greges
Nunc ſuperos haurite ſonos, quos Aliger Æthræ
Nunciat, ex aſtris lætitiaſque gerit
Scilicet eſt magnum, parvo ſed corpore Numen
Ortum, quod terras, quod regit aſtra Monas
Signum aderit vobis, nivea quod Virgine natus
Hic puer in ſtabuli membra reclinet humo
Ite alacres, properate manus gratiſſima Divis,
Obſtrictum Regem noſcite faſciola
Hoc ſuperi lætum cecinerunt carmen Ephebi
Et ſonuere cavis nablia mille lyris.
Gratia trina tibi Theleſphore, faſtus Olympi,
Qui copulas ternis, gaudia terna ſacris.
Ad tantum meritò te vexit Roma cacumen
Ritè tuas ſtrinxit ſumma tiara comas
Cui licet Argolicæ dederint natale Mycenæ,
Et fueris Graij ſanguine natus Avi
Ipſa tamen ceſſit Phrygiorum frœna nepotum,
Te Capitolina, ſanxit, & arce Patrem
Plaude Quirinalis, Vaticanique cacumen,
Tuque tuo laticum gurgite, plaude Tybris.

Ilicet

Ilicet Arctois, non es tam clara triumphis,
Vel posito Pœnis Martia terra jugo
Quantum sub placidis exultas Roma lupatis,
Quantum sub tanti lege superbis Heri
Olim trans geminos Phœbi metuenda penates
Fulsisti procerum prole beata Ducum:
Nunc Patre sub tanto felicior Orbe coruscas
Carmeli proles si micat Urbe parens.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. DIONYSII.

Divus Dionysius diù vestigiis inhæsus fortissimorum Divinæ Charitatis Procerum, propè fluenta Jordanis *victitavit, ubi agrestibus graminibus pastus,*

stus, flumineàque unda potatus anachoreticum ævum, cœlesti potius spiritu quam humano transegit. Crediderat omnibus hominibus latitare, & soli Deo vacare. Secùs accidit; nam cum ejus virtutes Phœbea luce clariores essent, se ipsis toto orbe patuerunt. Hinc ad Romani Pontificatus fastigium evectus Jordanem Tybridi cessisse oportuit. In Vaticano subsellio, Vrbem, totumque Orbem sic prudenter moderatus est, ut Valeriano, & Gallieno Imperatoribus admirationi esset, & in universo terrarum circulo, tamquam Semideus adorabatur. Emersit tunc temporis è tartareis faucibus detestabilis illa hæresis contra Divinissimam Triadem, quæ autumabat, non copulari in unico Numine triplicem hypostasim, nec tres personas esse realiter distinctas, sed solo munere. Ita ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus idem realiter essent, caputque hujus hæreseos erat Sabellius Ptolemaidita. Parte alia in Ægypto monstrorum regione, pullulavit monstrum illud omnibus immanius Samosatenus, qui conjuratis sui instar Hæresiarchis adimebant Christo Divinitatis honores, eructabantque purum hominem esse. His Inferni Induperatoribus obvius ivit Sanctus Pon-

tifex, & Samosatenum coacto Concilio Antiochiæ condemnavit, Sabelliumque editis doctissimis tabulis profligavit, iter medium, & verè regale adinveniens, quo adversæ illæ opiniones in materia tam ardua ex diametro sternerentur, & Catholica veritas absolveretur. In hisce commentariis, Sacramentum illud Sanctissimæ Trinitatis, non sensibus nec humano ingenio pervium orthodoxo sensu enucleatur. His & aliis strenuè gestis ad Cœlos evolavit, & in via Appia Callixti sepultus requievit. In sequenti carmine cuncta super enumerata, licet tangantur; fusius tamen in explanatione mysterii Sanctissimæ Triadis, venerabunda, non audax Musa dilatatur.

CARMEN VI.

O Minor ęthereo tātūmodò Principe, Princeps,
 Proxime, stelligero Dux Dionyse duci
Cum te sub cæca latitantem rupe: per orbem
 Fama ferat laudis buccina facta tuæ:
Cum tibi primates substernat Roma curules,
 Tarpejusque super sidera vectet apex

Quos

Quos mea Calliope potius celebrabit honores ?
  Pronior ad nemoris carmen an Urbis erit ?
Parce latebrosos sub fornice Pieris annos
  Pangere, seù mediis lustra peracta feris,
Scilicet ut rigidum sidus, Phanatica Phœbe
  Torserit insontis corpora nuda viri
Tùm cum palmiferi propter Jordanidos amnes
  Sustulit is duram, nocte, diéque famem,
Cui suppoSta silex cervici, somnia parca
  Ad murmur vitreæ conciliabat aquæ,
Cuique facessebant fruticantes tecta genistæ
  Agger nimboso debilis Hydrochoo
Quin instar pecudis vulsis radicibus herbæ
  Jejuno modicas exhibuere dapes
Parce precor tantos meminisse Camena labores,
  Sed Capitolini verticis alta pete
Vade super veneranda sacri palatia collis
  Linque cruentatis horrida tesqua leis
Spontè Quirinali cedit fastigia clivo
  Carmelus; Viden ut culmina curvet humi!
Spontè suas Tybridi Jordanis subiicit undas
  Elysio quamvis exeat amne latex.
Quare age marmoreæ succede penatibus aulæ,
  Sunt ubi gemmatis aurea tecta tholis

Invenies illic Vaticana arce tonantem
Arcanæ Triadis cœlica jura Patrem;
Non qualem videre inopem ſpelæa ferarum
Palmite vix tremulos occuluiſſe ſinus;
Sed ſua tergeminis redimitum tempora ſertis
Suſtentare pia, Romula ſceptra manu,
O' quod fronte decus! qualis nitor eminet ore!
Quale verecundum lumine lumen ovat!
Nacta ſuos habitat vultus Prudentia leges,
Celſaque Maieſtas additur inde comes,
Quò rictus abiere truces, impexaque barba?
Illaque ſetigeris vellera texta pilis?
O' quam ſilueſtri Dionyſius alter ab illo;
Cui fuit incultis hoſpes hyena jugis!
Ecce ſuper ſolio ſpectabilis emicat aureo!
Et meritis ternum ſtat diadema comis!
Veſtis eum tyrio Hyacinthina mixta rubori
Ornat Achæmenii ſtaminis acta colo
Palla ſuper (ſiculos hauſit quæ cęrula ſuccos)
Auriferis talos flexibus ima tegit
Circumſtant Proceres, tribuit queis ardua virtus
Murice promeritum condecorare caput,
Quàque gradus glomerat, ſuperos affectat honores
Procumbens gemino turba Quirina genu

Talis

Talis Atlas Urbis radiat, ſic cernit ovantem
  Roma, nec eſt ipſo quem regit orbe minor;
At geminos tonitru vocis ſi conterit Hydros,
  Quos dedit Eois hæreſis atra plagis:
Proh quantum ſolito rutilat divinior! eſt ſe
  Tunc major! tantus fulgurat ore Deus!
Flaminis ætherei divino percitus œſtro
  Nil mortale ſapit, vox hominemque negat
Nunc precor ò Helicon, tantos mihi pāde triumphos
  Res eſt Calliope, carmine digna tuo.
Tu fontes reclude novos, Aganippidos undæ
  J ſacras lauro dapſile necte comas
Scis etenim, nec te fallit ſpatioſa vetuſtas,
  Occidit inviſis Hæreſis unde plagis
Ergo Cœlicolum pro relligione Deorum
  Sidereas leges clangere docta; cane.
Qua Lybico rubet Æthra polo, Ptolemaidis Vrbs eſt
  Vſque Cleonæi ſideris uſta face
Illam Pentapolis geminum, quæ cernit Oaxem
  Circuit: Arſinoes quà ſabuleta jacent
Monſtrorum genitrix regio, quam Syrius axe
  Torquet, & ardentes ſemper hiulcat agros;
At Monſtrum, Monſtro feralius omne Sabellum
  Sub patrio genuit torrida terra cyclo

Hi

Hic furit in Cœlum fretus Phlegetontis Athletis,
Et conjurata provocat aſtra ſtyge;
Nam leges abolére parat, rabidóque latratu
Quæ dedit alma Fides ſternere jura putat
Præcipuè Triadis myſteria ſacra prophanat,
Ah miſer ad tantam lampada lucis inops!
Hinc ait ut triplex non inſit hypoſtaſis uno
Numine; ſolóque eſt nomine dicta Trias
Muneribus diſtincta ſuis, quin Spiritus almus
Perſona eſt eadem, Filius, atque Pater.
Parte alia, Peluſiaci, quà regna Canopi
Exurgunt, Nili quà Catapúda ſonant
Pullulat Ægypti ſtagnantia littora propter
Cœnoſa natus Samoſatenus humo.
Hic ſuperis oſus, rabidum vomit ore venenum
Niliacus turbat ceù Crocodilus aquas
Quippè adimit. Chriſto divinitatis honores,
Qui Deus eſt, purum vulgat & eſſe virum
Abiicit hinc ſacras caſtis altaribus hymnos
Pronus ad Hebraicæ relligionis onus.
Audiit hæc ubi Romulea ſtans arce Sacerdos
Debellaturus tartara tela capit,
Et gemina ad geminum meditatus ſpicula monſtrũ
Arripuiſſe, gravi talia voce refert.

Quis

Quis tempestatum Rex Africus æthera turbat
  Christiadum? Phario quis fragor orbe venit?
Ah Lybia è propriis nimis hausta leonibus iras!
  Ah nimis anguiferæ Dipsadis æqua parens!
Quid tua nunc acuis fulvas in pectora caudas?
  Quid Matris rabido viscera dente feris?
Ah memor Ægyptus (cœpas venerata) Deorum
  Docta Paretonios illacrymare boves.
Quid Satanæ cultus, ritus amplecteris Orci
  Mentitamque petis fallere nata fidem?
Te meminisse decet, gressus, quò Virgine Natus
  Intulit, indigetes tunc cecidisse Deos,
Tuque quid insanis, furiata mente Sabelli?
  Antiocheni Tù Pastor inique gregis?
Ambo Ceberides, inferni seminis ambo
  Creti Tænariis alter & alter aquis;
Ast ego non patiar Cociti gliscere prolem
  Mox, mox intorto fulmine tacta ruet,
Quotque dedit geminos Styx imperterrita partus
  Funera tot celebret, bina sepulchra paret
Sic ait, atque ubi stat Cœli regione supellex
  Fulgurum, & armorum surgit ahena seges,
Quod jaciat selegit inevitabile fulmen
  Fulmen ab æterni, quod ruit ore Dei

Tale

Tale fuit fulmen, quo primum pulſus ab axe
Evaſit ſtygii Lucifer umbra foci
Quo ſimul Angelicæ pars tertia truditur aulæ
Illud ad æternæ noctis inane chaos
Tale fuit fulmen, quo corruit aere Simon
Dum phlegetontæis æthera naret equis
Infelix Auriga Stygis moderatus habenas
Romanam præceps pondere preſſat humum,
Ergo vibrat telum tandem: ſic auſpice Chriſto
Evolat, ut binos mors geminata premat
Alter ſub lybia, Syrio cadit alter Oronte
Uno non jacuit tanta ruina ſolo.
Sic jecit Cœli fatalia fulmina: Cœli
Qui reſerat dius clauſtra beata Pater
Mox ubi ne Dytis rurſus contagia ſerpant,
Probraque lethæo ſint tumulata vado
Pandit adorandæ Triadis myſteria; Quantùm
Cana fides, Proceres edocuere poli,
Atque ait eſt unus ſuperi regnator Olympi,
Qui mare, qui terras, qui regit aſtra Deus
Neſcius orſorum, metarum temporis expers,
Nec ſibi principium, nec ſibi finis erit:
Sic tamen unus adeſt, ut hypoſtaſis extet in illo
Unigena triplex, quæ Deitate micet;

At

At diſtincta quidem Patris eſt, perſonaque Nati,
Illa nec eſt eadem Flaminis ætherei:
Fabor enim, qua mens ſpecie fœcunda Parentis
Æternûm, ſobolem progenitura parit,
Ex quibus igneſcens emanat Spiritus almus
Ambobus, ſpatio par & honore Monas,
Scilicet in ſe oculos figit, ſua lucida ſemper
Perpetuò fœlix reſpicit ora Pater.
Ardua perſpicuos ſpeculantur lumina vultus
Contemplatur opes ipſius, ipſe ſui.
Ipſius ipſe ſui pictor, ſe ſeque colorat,
Eſtque coloratum, quique colorat idem
Quidquid ineſt formæ pulcherrima forma reflectit;
Hæc eadem ſpecies, quæ ſpecioſa creat.
Omnipotens genitor de ſe ſua Numina noſcit
Ex alio nullum comperit initium;
Intereà dum operum formas, ſimulàcraque rerum
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ fore poſſe videt:
Naſcitur ingenito, genitum de lumine lumen,
Fœcundo Verbum profluit ore Patris
Naſcitur; at Genitor ſimul eſt Materque, Paterque;
Quin parit, & gravidus pignore turget adhuc.
Mira fides! Qui mente fluit prognatus ab alta
Filius, à Patrio non abit ille ſinu

Ille ſinu remanet, qui Principis ora Parentis
Exprimit; Auctoris dulcis imago ſui
Se tamen aſpectat, ſimul obvius, inditus unà
Prolis ad intuitum de Genitore ſatæ,
Nec ſe ſe geminos videant deſiſtere fas eſt
Alter ad alterius lumina ſemper avet;
At varias operum moles, artiſque labores
Sic Pater in verbo cernit; ut in ſpeculo
Hocque legit rerum exemplar, ſpecimenq; perenne
Formarum, diæ quod regat orſa manus.
Filius hic ille eſt, magnum Patris incrementum
De veri cerebro parta Minerva Jovis.
Hic genus æternum, gremium geniale Parentis,
Æthereo fixus pectore, pectus idem
Hic Cœli moderator, Rex ſuperum, Arbiter orbis
Ingeniti ſoboles (æqua propago) Dei
Non etenim ſenior Pater eſt, Deitàteque major
Numine nec proles, eſt pariente minor:
Sed Patris, & Nati ſola eſt eademque poteſtas
Aſpectu ſimiles, & ditione pares;
Dumque Pater Geniti totus complexibus hæret
Dum Genitus, Patrios gaudet adire ſinus.
Non mora: flammeſcit de Divo forma triformis
Ex utròque fluit Spiritus, ipſe Deus

Vtrius

Vtrius iſte ignes urget, complexus utrumque,
Vnus amor geminos, ſax fovet una duos
Non hic eſt magnæ partu ſata mentis imago,
Eſt expiratus pectore Vivus Amor.
Eſt ſacer amborum paſcens incendia flatus,
Mutuo quæ geminos flamma beata, beat
Evolat hunc illum inter, & utrius halitus oris
Vnigeno binos fœdere pacis alit.
Nil impar utrique, & utrique ſimillimus; Vnum
Pectore cor, veluti mens ſimul ipſa manet
Hinc, atque hinc geminare vices congaudet amandi
Numinis igniferum flamen, & almus Eros
Qualiter è facibus fulgor tribus emicat unus,
Vel triplici ſolus ſurgit ab igne rogus,
Seù per agros ſpatiata petunt tria flumina pontum,
Vnum quæ fiunt mox mare mixta mari
Sic perſona triplex ſubſtantia Numinis una
Par uni Deitas, par Deitaſque tribus
Edere ſed Verbum, Patris eſt non editus ipſe,
Eſtque Patris, partum gignere mente ſuum,
Sed potis eſt Natus, mundum reparare peremptum
Factus homo, atque homines conciliare Patri.
Flaminis eſt demum, Charitum diffundere nimbos;
Nam Patris, & Nati, Spiritus implet opus

Hæc Triadis, nobis Mortalibus inſcia captu
Natura eſt, veri Numinis alta fides.
Vix ubi dicta dedit, Superûm gratante Senatu
Exoritur plauſus, murmura læta ſonant
Inde ait effectrix operum Sapientia: Vos O',
Ite meum ſertis nunc amicite Patrem,
Quas docuit leges, has noſtro pectore prompſit
Non hæc è terris jura, ſed axe fluunt.
Diffugiant ſtygiæ peſtes, ferus exulet horror
Vocibus, his Erebi turba cruenta tremat;
Nam Deus omnipotens fati non mobilis inſtar,
In ſolido, leges has adamante notat.
Dixerat: E' lævo tonuit mox Juppiter orbe,
Hæcque ſuo volvit Numine jura rata.
At tu Muſa tace: ſat enim Parnaſſia laurus
Auſa fuit Libani ſe ſociare Cedris.

ARGU-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. SPIRIDIONIS.

DE Silenis, vetusta Gentilitas, præsertim Græca, retulit multa, ut videre est apud Rodiginum. Sed quod ad nos attinet, figurabatur Numen, seù potius seminumen, aspectu rude, externa superficie silvestre, & foris penitus despiciendum: Si tamen interius reserabatur ò quot portenta in eo videbantur! ò quot visu pulcherrima in eo pandebantur! De quodam Graii Scriptores registrarunt, quod patefactus, illico Juppiter apparuerit triumphalis, ob terrigenarum Gygantum victoria. Hinc suis sub pedibus Superbia conculcata gemebat, gemebatque simul falsus honor devictus, eò quod hic frustra Gygantes impulerat ad Cœleste regnum affectan-

fectandum , frustràque illa eosdem incitaverat ad æthereum spernendum imperium ; dum ad bellum impium lacessisset . Ex altera parte apparuit Hercules Jovis filius , similiter triumphans ob Hydræ internicionem, quæ tot septemplicibus capitibus fœcunda , quotquot resecabantur , erat Agamemnoniæ regionis, pestis indomita, quàm tandem tæda fumanti jugulavit Amphytrioniades . Hoc Græcorum Scriptorum relatu enunciatum , in sequenti carmine Nostro S. Spiridioni aptatur ; unde poetica hæc compositio Sileni sacri nomenclaturam est adepta . Etenim Sanctus Spiridion prorsus aspectu despiciendus erat . Degebat quippè Monoculus , sinistròque poplite succisus , illique frontis lumen ademptum fuerat , ob Christianæ religionis tuendam veritatem . Erat simplex in loquendo , nec ulla verborum elegantia animi dictamina fucabat . Erat Trimytunthinæ Ecclesiæ Pastor , nihilominus Custos erat gregis ovium , quas die pascebat , nocteque ad caulas reducebat . Demum omne ministerium pascentis Agricolæ adimplebat , non dedignans Pastorali baculo , pastorias cannas sociare . Hic tamen , qui sic exterius despiciendus apparebat , ò quot Divinæ gratiæ miracula

intus

intus servabat ! Profectò verus Juppiter Cœli Creator, domitorque rebellium potestatum suo pectore emicabat, suisque sub pedibus Superbia, falsusque honor profligati ingemiscebant. Cum enim Superbia tertiam partem Angelicæ Phalangis ad bellum adversus Deum ciendum, ausa fuisset commovere, & falsus honor, Adam protoparentem ad divinitatis altitudinem sibi arrogandam suasisset, ambo à Sancto Nostro Patre Spiridione sub suis pedibus, tamquam hostes calcati fuerunt, nec umquam humanis buccinis inflari potuit ad Mundi sublimia, per terrenas cupiditates avolare. Haud minus ex altera parte, in sui cordis arce fulgurabat vera Dei proles, Christus Dominus, non fabulosus Mundi labantis fultor Hercules, qui Idolatriæ, Hæreseosque hydram suo adventu jugulavit, non terreni dominii, belligera clava, sed potius sui amoris igne, contra quem frustra hæresis, frustra Idolorum superstitio serpentina capita, prodiga septemgeminis germinibus parturiebant. Hocque patuit quando Spiridion Nicæno in Concilio ad Arii hæresim extirpandam convocatus, sua simplicitate, disertissimum Philosophum obmutescere fecit, & ad meliorem frugem cum suorum grege discipulorum

sub

ſub Chriſti vexillo reduxit: Erat, namque Philoſophus ille adeò ſuæ tumidus ſcientiæ, ut penitus ſanctiſſimum Cœtum Antiſtitum doctiſſimorum contemnebat. Dum Patres, illum argumentis convincere conabantur, ille rethoricis coloribus enthimemata deludebat, & quando rationum aucupio jam captum credebant illum extrà caſſes vi eloquentiæ conſpiciebant. Nulla ſpes Chriſtianæ victoriæ apparebat, nullum ſuæ ſalutis expectabatur bonum omen: Quandò Spiridion ſimpliciſſimis verbis aggreſſus Ethnicum, de Deorum vanitate redarguit, & Chriſtianum ſimbolum, ut amplecteretur proponit, quibus verbis repentè mutatus Philoſophus, Deo, & ſancto ſeni credidit, ſuamque Diſcipulorum turmam caſtris Orthodoxæ militiæ adſcripſit. Prætereà alia miracula patravit, præſertim defunctum è ſepulchro ſurgere juſſit, & aquas fluvii rapidiſſimas, moram imperando, continuit, ſoloque tactu ægrotos ſanitati reſtituit. Attamen, hæc & alia portenta prætereuntur, & ad ea, quæ ſanctum ſenem, Silenum ſacrum denotant, noſtra elegis ſolutiori cotburno expatiari gaudet.

CAR-

CARMEN VII.

RUstica Sileni stupuit simulacra Vetustas
Quem mira Græcus struxerat arte faber:
Ille foris fertur Satyri monstrasse figuras,
Panis, & agrestes exeruisse genas;
Intus at arcano claudebat pectore Divos
Sic erat æthereis dives imaginibus;
Hinc si fortè datum bipatentes findere valvas
Innumeras oculis, tunc reserabat opes.
Illic cernere erat, stellata Juppiter arce
Straverit ut Phlægræ fulmine militiam
Quà tellus fœcunda parens Titania monstra
Ederat, æternos ausa ciere Deos.
In Jovis interitum tumidus movet arma Typhœus,
Oceani Divos provocat Enceladus;
Ast & Aloidæ, geminata cohorsque Gygantum
Sacrificant gladiis Numina cuncta suis.
Æmoniam rotat hic centenis ensibus Oetam
Illum convulsis rupibus armat Athos
Imponunt unà glaciali Pelion Ossæ
Arduus ex ima sede levatur Atlas;
At capit astrifero fulmen Saturnius axe,
Et valida torquet tela trisulca manu

Dejicitur Rhodopes, ſimul alta Ceraunia flāmis
    Præcipitant, ſupero Caucaſus igne ruit,
Tum Pater omnipotens jaculi determinat ictus,
    Prolis & inviſæ lurida buſta ferit.
Hinc cadit Ægeus, triplex labat inde Pelorus,
    Germani ſequitur funera trina Mimas,
Porphirion domat Inarimes, victumque Giantem,
    Collibus Enceladum comprimit Ætna ſuis:
Sic poſt bella Deûm victor ſuſcepit Olympus
    Nam ſibi ſervati, gloria tanta poli eſt.
Tales Sileni pandebant ora figuras,
    Plaudebantque Duci Numina celſa Jovi:
At parte ex alia, Jove nati ſtabat imago,
    Implentis meritis axis utrumque polum.
Cernere erat Nemeo contectum terga Leone
    Lerneæ Alciden, bella parare feræ
Horrebat Lernæa palus Acheronte profundo
    Triſtior, & ripis muta ſtupebat aqua.
Fœcundam chelydris obſederat Hydra lacunam,
    Hydra Agamemnoniæ lubrica peſtis humi
Cervices centum totidemque vomebat hiatus,
    Et centum geminas fuderat ore neces;
Vt primum immanes rictus, ſtridentia colla
    Vidit ſilva, nemus contremuitque lacus.

Vir-

Virgineos Nimphæ texerunt cortice vultus,
Liquere agrestes Pan, Satyrique sonos;
Quin ipsi fugere Onagri, fugere Leenæ,
Deservitque suum picta cubile tigris;
Ast ubi creta lues surrexit viribus auctis:
Tum Peloponnæsi sanguine tinxit agros.
Invanum Proceres illam sunt perdere nixi,
Usque venénato vicerat ore fera
Unus ab Occasu clava munitus, Echidnam
Aggreditur veniens Amphytrioniades.
Currit in adversum Lernæi bellua stagni
Mille-rotat fauces, sibila mille jacit.
Impiger Alcides monstrum sequiturque, premitq;
Fulmineàque secat turgida colla manu,
At mirum! Quot colla metit, tot messa resurgunt
Ditior est plagis; fertilis Hydra suis!
Quid facis Alcmèna genitus? cervice recisa
Vna, centuplex vulnere crescit apex!
Impatiens Hercles generosas aggerat iras
Pectore, fumiféras arripit inde faces
Vulneribus tædas, ultores applicat ignes,
Vrit funestó saucia colla foco
Tum fugit Hydra rogos, capitumq; exercitus ingens
Deperit, illa ignis, prædaque mortis obit

Omne Jovis proli tanto pro munere grates
    Silvigerum reddit, Capripedumque genus
Egressæ ex aditis Dryades sunt, Orcades antris
    Induit & virides silva jocosa comas
Is graditur Danaas, invectus curribus Vrbes,
    Et resonant palmis carmina mille suis.
Reddidit hæc olim Sileni passa figura,
    Exteriùs Satyrum nata referre rudem
Quidquid id est, verax cecinit, seù Græcia mendax
    Silenus, specimen Spiridionis erit.
Hic est cui Cyprii dederunt cunabula colles,
    Quà Paphio præsunt prisca Cythera freto,
Qui mox, Carmeli spectabilis incola Montis
    Fontibus Eliæ tendit in astra gradus.
Non hic Vrbanas adamàrat garrulus artes
    Vir fuit ætherea simplicitate gravis.
Non sua Socratico rorabat vena lepóre,
    Nec sibi Nestorei gratia mellis erat.
At rudis eloquio nullum sapiebat Hymettum
    Noverat argutos haud sua lingua sales
Quin potius digito studuit frœnare labellum
    Gavisus medio conticuisse foro.
Vestis Cyniphyo texit pauperrima cultu
    Artus, deque suo est penula tonsa grege

Non

Non ſecus Iſacides illos, quos vixit Jacob
Tranſegit niveos & ſine labe dies
Quippè ovium cuſtos, proprii pecoriſque Magiſter
Lanigerum pavit, picta per arua pecus
Ah quoties illum roſeo Sol vidit Eoo
Ducere carpentes fertile gramen oves?
Heſperus ah quoties reducem de montibus altis
Ad tugurum paſtas claudere vidit eas?
Ipſe vago ſaturas potabat fonte capellas,
Vt ferrent genitis ubera plena capris.
Ipſe ſub umbroſa retulit pecuaria fago,
Dum medium Cœli Phœbus adiret iter:
Quid quod inæquales cera jungebat avenas
Mœnalios doctus inſonuiſſe modos
Innixus caulæ, viridi projectus in herba
Miſcuit agreſti carmen agreſte ſono
Illum quis credat ſilvis aluiſſe bidentes,
Qui ſacer & Chriſti Paſtor ovilis erat?
Aſpice: Commiſſos populos, nutritque, regitque
Idem balantis, quem gregis urget onus!
Quid mirum paviſſe pecus Titana Pheræi
Principis Admeti, Theſſalicoſque boves?
Si nunc Catholicæ lampas ſine nube Sionis,
Eſt etiam Cyprias dux vigil inter oves?

Nec

Nec se continuit mugitibus aera tauros
Replentes palmis edomuisse suis.
Ipsum non puduit proscindere vomere glebas,
Reddat ut accepto semina terra lucrum
Parva seges, modicusque fuit sat farris acervus,
Viveret ut nimium paupere dives agro.
Hactenus. Exteriora Patris simulacra; Sed intus
Quale notet dium pande Camena decus.
Adfuit. O' quantum se prodit pectore Numen!
Quantas Spiridion corde volutat opes!
Cernis ut in propria Numen quasi sede triumphet!
Magnus ut in parvo gestiat esse Tonans!
Quem circum pennata cohors, gens æthere nata
Astat, & in triplicem, scinditur ala chorum
Plumipotens agmen, nutus veneratur heriles,
Auctori plaudit Cœlica turba suo.
Ante pedes Divi, jugulata superbia squallet,
Et jacet exanimis fulmine, falsus honor.
Illa est Luciferum, stygiis quæ miscuit umbris
Hic nocuo primum stravit amore Patrem;
Namque olim, legione sua Draco furvus Averni
Æterno valuit bella movere Jovi
Scilicet Angelicas ad signa lacessere turmas
Et fuit ad superos impetus ire tholos

Astra

Aſtra ſuper (dixit) ponam ſubſellia: Divo
    Par ero, meque thronus trans Aquilona vehet
Et validis auſus caſtris opponere caſtra
    Pluto, Tartareos traxit ad arma Duces.
Regis ab adverſo ſuperûm, venére phalanges,
    Inſtruxitque aciem Marte favente polus
Signifer hos inter Michael aſſurgit ovantes
    Dimicat (& quis adeſt ut Deus?) ore tonat.
Hinc dedignatus vilem ſine nomine turbam
    Exoptat ſolum, quod regit arma caput,
Quod Michael nactus, galea, thoràceque tectus
    Trans adigit colubri cominus enſe latus,
Qui cadit; at caudæ ſpiris de limine Cœli
    Plurima ad infernos intulit aſtra lacus,
Sed quæ falſus honor mala noxia Protoparenti
    Detulit? heù opibus quot viduavit Adam?
Nuper ab exiguæ limoſo glutine glebæ
    Creverat in grandem (cui decus ore) virum
Cui nemus Elyſium Dominus, florentia Tempe
    Ceſſit, ubi ſtabili vere vireret ager
Imperium dederat volucrum, ſilvæque ferarum
    Squammigerum Nerei ſubderat omne genus
Quatenus æternûm felix decurreret ævum
    Inter nectareæ regna beata plagæ;

At

At Pater insidiis deceptus & astibus Anguis
Unigenæ similem se cupit esse Deo.
Tunc pomi morsu, celso de vertice præceps
Labitur, extremam pondere mensus humum.
Hinc gemitus, hinc curæ, non secus agmine facto
Pollútum noxa, circumjere solum
Ex tunc dira fames, turpis properavit egestas,
Tunc impacatæ mortis aperta via est.
Hæc pede sub Dio, victricia signa refulgent;
Ponè tamen Nati celsa trophea patent.
Hic etenim Christus, verum de Numine Numen
Idolatriæ lurida regna quatit
Sæva superstitio, Lernæa sævior Hydra,
Heù quot cervices! quot fera colla ciet!
Quæ Mundi facies, Monstro dum paruít orbis?
Sanguine quo tellus sordida non rubuit?
Proh quales celebrata Deos! præsedit Adulter
Juppiter, infami concilio superûm.
Hic in avem, taurum, satyrum, mutatur, & ignem,
Non semel auriferam solvitur in pluviam,
Vt queat arcanæ contectus imagine formæ
Virgineos strupro mox violare thoros
Egregius furto, clarissimus arte nocendi
Est Maja genitus, Plejadesque nepos

Gaudet

Gaudet adulterii Mater Citheréa vocari,
Imprimit impuras æquore nata faces.
Sic qui Threjiciis Gradivus præſidet arvis
Cœdi inhiat, chalybis ſemina pectus alit.
Quos memorem vectos parili mercede ſub aſtra
Inſertos numero moribus hiſce Deûm?
Proh pudor: Horrendus vario quoq; tergore Serpés;
Quique Parétonias nat crocodilus aquas,
Inter adoratos poſcunt delubra penates,
Thuricremiſque petunt exta litata focis
Seque coli rident, graveolentia Numina porri,
Quæque oculis lacrymas putida cœpa trahit;
At veniente Deo fuſo de Virginis alvo,
Procubuere ſuis ſpectra pudenda locis
Æra fabris conflata, loquentia Dœmonis ore
Præpetibus pennis appetiere Stygem.
Priſca ſuperſtitio Lernæa pejor Echidna,
Cui tot cervices, quot ſimulacra manent
Heù Idolorum cultus, amplexa prophanos
Nazarea tandem concidit icta manu
Innumerus fruſtrà capitum prodivit acervuus,
Fœcundus fruſtra ſe rénovavit apex;
Nam Divi proles, invictæ robore dextræ
Devovit gelidæ colla cruenta neci

Arma fuere ſimul Divini clava timoris,
Et fortunatæ cœlica tæda facis.
Ignis amoris ovans ſancti, peperitque triumphos,
Plenaque de Dytis Rege trophæa tulit.
Sic ſuperas victor remeavit Jeſus ad arces,
Feſtaque perſonuit laudibus Æthra ſuis.
Quam benè nunc Cyprii, fulgent hæc pectore ſigna!
Hæc humili quantùm quadrat imago Patri!
Credite. Mortales faſtus, non promptior alter
Reſpuit, aut falſi ſprevit honoris opes
Proh mirum! Qui jura hominũ, Divumq; gubernat,
Jam Trimyntunthini Metropolita gregis
Noluit ut meritos præcingeret infula crines
Poſthabuit tyrio vellera pota ſalo;
Illius aſt humeros cinxit paſtoria pellis
Fultor erat baculus roboris Eſculei
Non dedignatus ſtabulis habitare bubulci
Aut modicam bijugis findere bobus humum:
Sed quis in Hæreſeos fuit obvius acrior anguem?
Aut Idolorum fortior uſſit Hydram?
Teſtes Bithynici comitia ſancta Senatus,
Et Nicænorum ſacra corona Patrum.
Ethnicus in medio cœtus vir venerat illuc
Palladiis ſolitus ſiſtere porticibus

Non

Non illo melior Naturæ pandere causas,
Astrorumque vagos explicuisse gradus;
Scilicet Olenios cur Titan evocet imbres,
Cur Pater Oceanus littore frœnet aquas,
Aut quando trepida Cœlum vertigine currens
Multifidas teneant sidera mota vias,
Nec deerat patriæ dives facundia linguæ,
Os erat hybleo cella referta favo,
Et bene Cecropio suo pectore rore madebant
Quippè duplex menti mella ferebat apis;
At Paganorum legi parebat, & ipsi.
Verus erat, falsæ relligionis amor.
Laudibus immodicis tollebat ad astra Tonantem;
Cui soror & conjux regia Juno favet
In Phœbi decus obsequialia verba canebat
Quo sine, stellarum lumine turba vacat
Sic reliquos, melico claudebat carmine Divos,
Æthereo dignos semper honore coli.
Christiades varia tentarunt arte Hierarchæ,
Gentilem falsos deservisse Deos
Argumenta quot! entimematha quotque rotarunt!
Cederet ut claræ furva tenebra faci;
Omnia sed vano molimine cassa fuerunt,
Veridicos semper luserat ille sonos,

Dum benè convictum reputas vinctumq; catenis
Labitur è liquidis non secús anguis aquis
Frustrantem aggreditur Cyprius sacra tela Sophistā,
Incomptis prompsit talia verba modis,
Quem Pagane mihi, Veneris, seù Martis honorem,
Aut Jovis insinuas? reris & esse Deos?
Fare age. Numinibus fumantia thura ministras,
An potius Stygiis sacrificas geniis?
Est obscena Cypris, polluti Mater amoris
Torret corda suis semper opima dolis
Furatur Cœlum, Gradivus sanguine pastus,
Ustus ab indigna plorat Apollo face.
Pellicibus Graiis Saturnius æthera replet
Inventor vitii, sidera pura colit.
Ah te ne tantùm capiet vesana libido
Desine Tænario subdere colla jugo.
Vnigenam venerare Deum, cui flectitur axis
Sub pedibusque jacet terra, fretumque suis.
Hic ò rarus amor, genitum demisit in orbem,
Vt luat innocuus crimina sontis Adæ
Induitur Christus carnis mortalia membra
Et peragit nostræ grande salutis opus!
Occumbit demum ligno confixus acerno
Vnde suam tellus flevit & Æthra necem

Hinc

Hinc breve post triduum, spoliis Phlegetōtis onustus
Surrexit, patrio vela deditque polo
Afforet ah tempus, dudum caligine mersum
(Quippe Deo tantùm lux patet illa Patri)
Qua teretis Mundi moles operosa laboret;
Tùm cùm de supero cardine flamma pluet
Adveniet Judex scelerum, vindexque reorum
Digna bonis solvet prœmia, digna malis
Fœlix qui lacrymis sordes, immundaque lavit,
Illum non stygia merget Avernus aqua,
His credas: Callisque tibi patefiet Olympi.
Est individuum Numen, & una fides
Sic loquitur, stupidusque manet, Gentilis Athleta
Compresso reticet lingua diserta sono
Mox ait. Heroes audite novissima verba,
Usque quo in eloquio mutua pugna fuit:
Non cessi, sed dentem juvit rodere dente,
Par fuit affatu non requietus agon;
Nunc ubi pro dictis, vis ignea manat ab axe
Istius incultò, fatur & ore Deus
Spiritui frustrà valuere resistere voces,
Virtuti numquam Numinis obstat homo
Me fateor victum, positis mihi gratulor armis,
Exuviis vacuum glorior esse meis.

Vos

Vos ò si marmor dudum coluistis & æra:
　Compedibus duris solvite corda precor
Linquite Tartareos deformia Monstra Tyrannos;
　Sit procul inferno thus adolere Jovi
Discite (dum nostræ placuit doctrina palestræ)
　Vera fides hæc est, quam docet iste senex
Dixerat: Indigetesque Deos, Orcumque perosus
　Ad nova Nazarei compita, flexit iter
Ergo tibi meritò plauserunt carmina Dive
　Silenum meritò te cecinere sacrum
Hæc patriis silvis hæc antris insonet Echo
　Vana tibi cessit gloria falsus honor,
Sed vos pampineis mea tempora nectite baccis;
　Populea Musæ cingite fronde comas
Quandoquidem,corilos, ebulos, humilesque genistas
　Inter. Apollineas jussimus ire fides
Non mea vis melico moderari sidera plectro;
　Sat fuit in nemorum pangere Pana plagis.

ARGU-

ARGUMENTUM ET EPITOME VITÆ S. HILARIONIS.

Hilarem exigit Hilarion cantum, nostraque Pieris ut fausto nomini Carmelitici Herois, ejus hilaria congeminet gesta, læto syrmate sic inchoat fastos. Natus est Hilarion Tabathæ in Palestina. Illius Parentes fuere infideles, ipse tamen Christianam excoluit fidem, emicuitque velut rosa, quæ dumosis orta è sentibus, suum undequaque effundit odorem, exeritque pulchritudinem. Alexandriam, studiorum causa missus, ibi manifestiùs fidem Christi amplexus est, & opera Christianæ pietatis mirabiliter in viridi ætate exercuit. Procul ab ejus desiderio quadrigas Olympicas conspicere, procul ab arena gladiatoria Soles consumere, circi furoribus delectari; sed

sed tota animi dulcedine ad Domini aras se deferebat. Erat tunc aurea ille ętas, in qua Ægypti deserta in Paradisi simulacra convertebantur, tuncque efflorescebat Antonius, pater celeberrimus innumerorum Monachorum. Hunc visendi cupiditate in solitudinem contendit Hilarion, ætatis suæ non dum trium lustrorum. Illuc perventus, ut niveos mores novit sanctissimi senis, ut cœlestem ejus vitam attigit, mirabilemque ejus simplicitatem observavit, ardens puero incessit cupido, toti Mundo vale dicere, sidereamque illius vitæ rationem complecti. Hinc Alexandriam reversus, defunctis interim parentibus, suumque patrimonium pauperibus erogatus ad amatam solitudinem est reversus, illa verba usurpans, coronati Prophetæ. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Illico silvestrem, angustamque molitus est casam, quæ adeò situ exiguo componebatur, ut vix ipsum capere, esset satis. Humi cubabat, ciliciumque semel indutum numquam aut exuit, aut tersit, cùm diceret, frustaneum videri mundicias in cilicio quærere. Orationi erat assiduus, adeòque jejunio devotus, ut vix paucas ficus ederet, & regulariter her-

barum

barum succo amarissimo epulabatur. Erat præterea continentia Angelicus, & humilitate sublimissimus; ita ut humani generis hostis invidens tantis virtutibus, expavescensque in juvene tantam perfectionis consumationem, sollicitusque de futuris damnis in illum multoties sævissima bella concitarit. Nunc adolescentem luxuriæ stimulis flagellabat, nunc ferarum terribilium ululatu terrebat, nunc diris pugnarum spectaculis angebat, demum Dæmones ipsos quadrigantes obiiciebat, qui velle affectabant Hilarionem sub evolantibus rotis proterere. Hæc tamen Draconis certamina, Deo favente superavit ad invocationem dulcissimi nominis Jesu, quo audito infernales furiæ terga dabant, & victor juvenis canticum illud concinebat. Cantemus Domino canticum, &c. equum & ascensorem in mare projecit. Non multò post hortatu piæ Mulieris incessanter plorantis, Gazam adiit, cui tres filios mortuos suscitavit. Fama tanti facinoris ad vicinas primùm, mox longinquas evolavit regiones; adeò ut undequàque currerent turbæ videndi Hilarionis gratia, & ut levamen earum necessitatibus experirentur. Verum timens sanctus Vir, ne ventosis illum va-

N *na-*

nagloria tolleret bigis, è solitudine aufugit, & longo itineri addictus Trinacriam Insulam appulit, credulus ibi ignotus latitare. Sed hoc in loco etiam, ob suam gloriam, Dominus illum patefecit. Quandoquidem Romæ, qui vexabantur à spiritibus immundis, clamitabant à solo Hilarione liberari posse, qui in spelunca Siculæ insulæ moram trahebat. Quapropter coacervatæ turbæ Sicano in antro effecerunt ut Heros sententiam immutaret de incolatu. Hinc iterum *aggressus iter maritimum, Scardonam contigit ubi Draconem extinxit, qui pestis erat sævissima illius regionis. Mox Epidauriam versus navigans, turbines immanissimos compescuit, imperavitque mari, jam, jam suis fluctibus voraturo civitatem illam, ne suos littoreos transiliret limites. Demum cum jam portum intrasset Paphium, & comite Eutichio novisset ultimum suæ vitæ diem appropinquasse, in morbum incidit, cujus vi, cum postremo quasi spiritu conflictaretur, sibi ipsi ajebat. Egredere anima mea quid expavescis? Septuaginta ferè annis famulata es Christo, & times? quibus in verbis, se confortans, ad æternas hilaritates Hilarion convolavit.*

CAR-

CARMEN VIII.

HVc, hùc Aoniæ veniant mea cura Camenæ
Huc hilaris revocet carmina fausta chorus
Dicantur bona verba: suos Hilarion ad ortus
Annuit ut læto nomina læta sonent
Hìc est ille puer, Syriæ laus inclita Gazæ
Unde Palestino est structa Tabatha solo;
In qua cum primùm vitales ebibit auras
Ex stirpe infidus, scit coluisse fidem.
Sic rosa sentifero Hiericuntis nata vepreto
Intempestivo replet odore polum.
Olli primæui subeunti temporis ævum
Non fuit Elæos visere cura jocos
Amphitheatrali Circi, nec adesse furori
Fumat ubi cœsa Martis arena fera,
Sed celebres vivi venerari Numinis aras,
Fanaque Diviparæ visere sacra Deæ.
Tunc erat annosus terris Antonius, ille
Semideusque senex, semisenexque Deus;
Jura dabat nemorum residentibus avia saxa
Innumeri Pastor luxque, decusque gregis
Nomine tàm celebris, quàm non præclarior alter
Fulserat Eois, Occiduisque plagis

Huic puer optatos jam dudum figere viſus
 Arſerat, & tandem per juga carpit iter:
Vidit & obſtupuit niveos per colla capillos,
 Pectoraque Alpina candidiora nive.
Secum deſertis in ſedibus hæſit Ephœbus
 Cum ſene ſollicitas protulit uſque moras;
Donec bis plenum tenuata refecerit orbem
 Cinthia creſcentes nocte revecta rotas.
Mox mores tanto placuit didiciſſe magiſtro,
 Juraque Divini mellis onuſta favo.
Jam tria luſtra puer Cœlo maturus agebat,
 Cui jam torre pius corda cremarat amor:
Impiger immundo ſtatuit vale dicere mundo,
 Et modicus ſuperas quærere pauper opes
Obtigit. Ad ſiluas iterum veſtigia flexit,
 Vnde ſilex ſecta concava rupe cadit
Hoc ſpecus haud ingens, legit ſibi penſile tectum
 Extitit hoc animi portus, & aura ſui;
Namque procelloſas animo non ſentiit undas,
 Non illic nebulis Sol coopertus iit
Dura tamen teneri mordebant corporis artus
 Vellera, de rigidis texta retexta pilis
Munera cara nimis, dederatque Antonius illi
 Cum rarum lacrymis liquerat hoſpitium

Paftus erat quindenæ caricis efus amarus;
　Nox ubi mõnftrarat fidera prima polo
Teque precor pictum ftellati lumen Olympi
　Dic mihi nocturnos quos dabat ore fonos?
Ille citus Cœlum fertur petiiffe volatu,
　Affiduaque Deum follicitaffe prece
Quæque coronatus præfertim carmina Vates
　Idem Divinus pfallere fuevit Olor.
Non fic allicitur matutus Vere viator
　Cum gemit Ifmarium Daulias ales Ityn
Illius ut Superum mulcent fufpiria cœtus,
　Quando cupidineum pectus adurit amor
Vror io ingeminat, tabefcunt vifcera flamma
　Molle cor, ut facibus didita cera liquet;
Odit at hos genitus, gemit hos Infernus amores,
　Deque malo nimiùm prævia cura fubit.
Horridus exclamat. Si fic Aurora rubefcit
　Ah quid erit medium Sol ubi fcandet iter?
Nunc opus eft ferro teneram convellere plantam.
　Mox validos temnet germine fœta Notos
Dixit: Avernales ciet ad fera bella cohortes,
　Et fremit anguineis perdita turma comis,
Mille colubriferas movet ad fua damna Medufas
　Merfa Dionæo fpicula felle parat

Lubrica

Lubrica Virgineæ Juvenis phantaſmata menti
Nectit quæ neſcit, cogitat ille tamen
Cogitat! hinc animus, nunc huc, nunc evolat illuc!
Obſtupet ignotas cor remeare plagas!
Aut laſciva ſuum perturbat imago cerebrum;
Aut caſtus ſponſi ſubdolus intrat amor.
Sæpè ſibi viſa eſt cœpiſſe ſub arbore ſomnum
Fœmina, detectos nec latuiſſe ſinus.
Interdum tacita ſe protulit arte puella
Nigra oculos, pectus candida, flava comas;
Et dixiſſe viden collum, niveoſque lacertos!
Aſpicis ut noſtro purpuret ore roſa!
Tange precor tumidas nativo lacte mamillas;
Nunc placeat femori conſeruiſſe femur
Oſcula des centum, centum quater oſcula reddam,
Fac capiat geminos mollior herba thorus.
Addidit, & ſtygio ſuper illita herba veneno
Quæque referre pudet Virgo Camena ſilet.
Quid faciat tantis circumdatus hoſtibus Heros?
Ad Cœlum lacrymis lumina ſparſa levat,
Et tremit, & toto deſudat corpore ſanguis,
Spumiferis agitur non ſecus alnus aquis
In ſe bella ciet, contundit pectora pugnis
Eripit ungue comas, & ſecat ungue genas.

Adver-

Adverſus me cuncta ruent certamina, dixit,
Tuque feres tantam corpus aſelle famem,
Ut vix æratis ſubdes calcaribus armos
Cum tibi nulla ſeges, tunc mihi nulla Venus
Jam lumbos accinge tuos; nam pondera dorſo
Magna vehes, rigidas, tu patiere nives
Tu Soles pluviumque Jovem, ſub vertice nudo
Tu gelidum membris experiere vadum.
Dixerat, & voces pariter mox facta ſequuntur,
Inſuetumque ad opus non piget ire manus,
Nempè quatergeminæ patitur jejunia lucis,
Tingere nativa labra, nec audet aqua
Montanas proprio lapidum fert tergore moles
Solares radios fert, hyemale gelu.
Præterea duro terras urgente ligone
Nulla quies, ruptos vomere findit agros
Non ut maturis genitalia ſemina campis
Spargat, quæ magno fœnore reddit humus;
Aſt ut ſpinigeras è corpore velleret herbas,
Indita quas animo noſtra libido parit.
Intereà Dominum fuit anxia cura precandi
Semper erat Martha, Magdala nexa ſoror
Artibus his ſtygium proſtravit Athleta Gradivum
Irritaque obſtupuit tela vibrata Cypris.

Dicite

Dicite Pierides, quanto combusta camino
Fumarunt Orci lurida corda Dei?
Pytho minus furuit, rabido minus ore momordit
Terram, Phœbeis fixus arundinibus
Ille ter, ille quater tortam serpente coronam
Decutit, adque pedes tartara sceptra jacit.
Tum furiis agitata diù mens egra doloris
Rumpitur, & tales edit ab ore sonos.
Numina, Cimmereæ queis dant delubra catervæ
Digna magis superas incoluisse plagas,
Quandoquidem aeriæ sumus sine corpore vitæ,
Et natale tulit stelliger axe cyclus
Si cecidisse dedit quondam non flexile Numen
Scripta hæc æterno sors adamante fuit,
Scilicet haud animus defecit, duraque belli
Non fulsit nobis alea, lance pari.
Sed quid ego hæc memoro? priscos renovare dolores
Quid juvat, ad questus si vocat ira recens?
Vidistis nudum, dumos, rupesque colentem
Tempserit ut stygii tela pavenda Dei?
Num Mundi cupidos est hic venatus honores?
Num tetigere suæ patria tecta domus?
Sed nec ad obscenos Cithereæ currit amores
Queis vir, queis juvenis, queis cadit omnis anus!

Qualis

Qualis erit noſtri major deſpectus honoris?
Proh dolor! inſanas quærimus unde moras?
At me non tantum laniant præſentia damna
Venturi potius ſedula cura premit
Talia ſi Juvenis comunt modó tempora ſerta,
Lavrea qualis erit, ſi foret ille ſenex?
Non equidem patiar, ſerpentem gliſcere truncum,
Creſcentem citius ſtricta ſecuris agat.
Vos precor ò Erebi pubes fortiſſima noſtri,
Horrida lethiferis clangite bella tubis.
Ferte faces, capite arma, fero contendite Marte,
Ultores veſtri vos decet eſſe Jovis.
Occidat infamis; Quid poſſit ſentiat Orcus,
Quid Chaos, & cæci Dytis opaca domus:
Hæc ubi dicta dedit, nutu tremefecit Avernum,
Armaque Tartarei ter crepuere fores
Protinus aerios invadunt pallida campos
Agmina, quà Syriis eſt via verſa locis:
Tunc matutinas Hilarion Davidis hymno
Pſallerat, ut verno tempore cantat Avis
Illius en ſubitò ſonus horridus occupat aures,
Cardinibuſque ſuis vulſa videtur humus
Hinc gemitus puerorum, femineos ululatus
Audit, ceù gladiis ſaucia turba foret

Audit barbigeros luctantes cornibus hircos,
Quos propè, balantum murmurat omne genus,
Nec non indomitos Tauros, validosque juvencos
Mugitu vacuos insonuisse specus.
Quid referam ut glomerans sinuosa volumina serpẽs
Dum verrit campos sibilat ore truci?
Hic leo Getúlus rugit, Lybicusque molossus
Latrat, & horriferos fundit hyena sonos.
Parte alia rauco reboant cava cornua cantu,
Auditurque sonum vox imitata tubæ,
Ergo inter se se parili contendere Marte,
Hinc bellatores credis, & inde duces.
Fulmineo tonitru Cœlum boat, obstrepit armis
Tellus, dat sonitum collis, & amnis abit
Sic geminas acies propius concurrere telis
Ambigeres, hærent, pectora pectoribus
O' quot confusæ bibit auris cladis acervos!
Quis furor! illiso quis venit ense fragor!
Hic gemit occisus gladio, perit ille bipenni
Scissilis; at funda sternitur alter humi:
Nos miseros alii clamant jam limina mortis
Ingredimur, patrio nec damus ossa solo.
Sanguineis animam mersi deponimus undis,
Quas instar fluvii viscera secta vomunt

Quis-

Quiſquis es, ad noſtros, ſeù vir, ſeù fœmina caſus
Flecte cor, & miſeris quam potes affer opem,
Territus his monſtris Hilarion, lumina circum
Voluit, quid videat; ſed videt ille nihil
Nox erat & pleno fulgebat Delia cornu,
Pene ſua medium lampade menſa polum
En propè ſe bijugos videt adventare, ſuoque
Vertice, præcipites evolitare rotas.
Emicat in currum Rector, ferrugine habenas
Molitur tinctas atraque frœna regit
Cornipedes hortatur, nomine quemque vocando
Diſſilit. ardet, & in verbera pronus hiat
Numquam nervoſis Auriga citatior armis,
Elæo rapidos carcere ſolvit equos,
Ut volat hic, citat axe rotas, undantia quaſſat
Lora, flagellati quadrupedantis onus,
Quàque gradus Heros (pavitans veſtigia currus)
Torquet, ibi recto tramite flectit iter,
Quæ tibi tum nemorum cultor vox? Nomen Jeſu
Dulce vocas, dia te Cruce fronte notas.
O' ſtupor! immani patefacta voragine tellus
Exerit ex imis mille baràthra gulis
Æratos orbes vorat, indomitoſque caballos,
Quemque regit currum ſub juga, ſorbet herum

Indocilis frustrà cohibet retinacla Magister,
Reclusamque suo pondere claudit humum.
Tum victor cecinit miles modulamina Divo,
Israelitæ, quæ cecinere Patres,
Scilicet Aurigas Dominus dispersit in æquor
Purpureumque feros in mare mersit equos.
Post hæc victorem, victus quater horruit Orcus,
Non ausus tanto bella movere duci;
Quin pavidus sæpè obsesso de corpore Dœmon
Illius audito nomina terga dedit:
Jam piceos inter querno de tegmine lucos
Finierat nudo bis tria lustra pede
Solus, ni quantùm aligero comitante Senatu
Siderei peteret limina mente throni;
Sed decuit caras tuguri liquisse latebras,
Undè brevi patriæ curreret Urbis iter.
Fœmina nam venit mœstos incompta capillos,
Torpuerant tristes questubus ante genæ
Adque suum prolapsa genu,lacrymansque, dolensq;
His tandem supplex vocibus usa gemit.
Coge gradum mecum, teque hinc ad mœnia Gazæ
Perfer, & ad nostros sanćte Vir ito lares;
Quippè mihi ternam, præstanti corpore prolem,
Quam dederant Divi, pallida mors rapuit:

Nunc

Nunc ò nunc liceat dulcem producere vitam,
Ante ſuum juvit cui cecidiſſe diem;
Sed vetat iſte, rogat illa magis, ſic denique fatur
Tu mea Dive modò pignora redde tria;
Ægypto ſi quidem natos Antonius auris
Veſci vidit, & hic tu ſine luce frui?
Quid non flens Mulier poſſit? miſeratus acerbum
Funus, ad urbanas flectitur ire domos.
Vt tetigit, gemuitque ſuper tres lumine caſſos
Ad vitam (nova res) tres rediere ſimul.
Fama Parętonias tanti citò venit ad arces
Prodigii, mortis fregit ut ille fores
Mirantes illuc populi fluxere propinqui,
Quæque ſub extremo gens colit orbe plagas.
Vox diverſa ſonat turbæ venientis; at una eſt
Cum Thaumaturgus dicitur eſſe Pater;
Sed non ſic magicos incantatoris abhorret
Sub Cane flammigero vipera torta ſonos,
Vt timet is turmæ varios properantis honores
Auriculas feriant laudis, ut aura ſuas.
Sic timet, ut dulcem ſtatuit liquiſſe cavernam,
Ignotumque alio ſub Jove, nare polum
Longinquas potuit, trans pontum tangere terras
Navita quò numquam, quò vagus hoſpes iit

Sed

Sed nec in absenti potis est inglorius axe
    Vivere: ponè sequens, hùc quoque turba ruit,
Debilis ille licet: Tandem, ceù Dedalus alter
    Aufugit occulti brachia curva freti,
Et quà torrentes complectitur Africa Soles
    Exul, in Occiduum tendere gestit iter.
Illum viderunt Lybiæ sitientis arenæ,
    Quà tepet in mediis turbidus Auster aquis,
Illum Solstitio Meroe calefacta propinquo,
    Regnaque, sub Nemea depopulata fera,
Mox tenuere Patrem Siculæ confinia terræ,
    Insula Thyrrena Doride, dives opum
Scilla ferox liquido lambens vestigia labro
    Mille dedit Sancto basia pura Pedi.
Depositá feritate simul Zanclęa Charybdis
    Gestiit obliquos exhibuisse sinus,
Sed sua Trinacriis latuit non gloria campis,
    Quin magis est illo prodita fama specu:
Quandoquidem Romæ vexatæ Dœmone turbæ
    Ah clamant Ætnæ Stas Hilarion humo?
Mulciberi colles adeat, sedesque Cyclopum
    Inveniet promptam, debilis, æger opem
Quisnam hominum falsos, sibi tam quęsivit honores,
    Hunc cupidè verus, quam sibi quærit honos?

Heù

Heù quid agat? peregrinos denuò quærere fines
    Viribus infirmis longa senecta vetat,
Sed ne ventosis attollat gloria bigis
    Hadriacum mavult nave secare fretum;
Nec mora Dalmaticos per multa pericula montes,
    Intrat, ubi Illirici littoris ora sonat
Non procul Jonias à læva conspicit undas,
    Scardonæque super detinet arce gradum
Nullibi tuta quies, pugnat si Dia voluntas.
    Hic quoque portentum grandius ecce patrat!
Hic erat (horresco referens) Draco squameus! iras
    Pectus alit! centum sibila lingua vibrat!
Igne micant oculi! terno stant ordine dentes!
    Cristatum redimit fulva corona caput!
Eminus est pecori pollens diffundere virus,
    Cominus evomita perdere peste bovem;
Quin homines longis caudæ complexibus ambit,
    Quos necat afflatu, morsibus aut perimit.
Hanc senior sanctus cladem miseratus, ad illam
    Sic loquitur gentem: Dalmata parce metu.
Lignorum molire struem, dnc arida circum
    Pabula, sub sicco cortice conde facem.
Parent Agricolæ verbis, & ad æthera versus
    Ille, genu supplex advolat astra prece;

Mox

Mox vocat immanem ſinuoſa mole Draconem,
Conſtructamque jubet deſuper ire pyram
Turgidus ille Draco (quis credet) obedit!
Urit compoſitum quà cito verna rogum
In mediis coluber populo ſpectante favillis
Ardet, ad accenſos victima ſponte focos,
Et piceum craſſa involuens caligine Cœlum,
Innumeris una vivere morte dedit.
Hinc ubi prima fides ponto, Zephyrique volatus
Apparent, Cyprias per mare verrit aquas
Ipſe cava tumidi trabe non timet æquoris iras;
Nam non invito navigat ille polo
Obſtupuere ratem prædantes Dorida nautæ,
Et dederunt verſis irrita vela flabris,
Sed quid mirabor rabidos ceſſiſſe piratas?
Olli etiam ſurdi paruit unda maris,
Dicite Vos, ſubitis Epidaurica regna ruinis
Rapta, nec inſano dedita præda ſalo?
Tempus erat quo pallentes Sol diſcutit umbras,
Lux ubi matutum provehit orta jubar.
Illico cæruleus Cœlo, ſuper aſtitit imber,
Cui jam ponè ſequens abſtulit umbra diem.
Æolii volvunt mare venti, turbida nimbis
Tempeſtas oritur, ſurgit ad aſtra Thetis

E' Jove

E' Jove nigrantum pluvio fluit agmen aquarum,
Augent ſpumiferum prona fluenta fretum;
Hinc pavet Agricola, ingemit alto culmine Paſtor,
Expectat celerem Civis in Urbe necem.
Occurrit Cœlique minis, pelaguſque furoris
Pes ſenioris, ubi littoris hæſit aquis,
Expanſuſque manus, Neptune revertere dixit,
Tu quoque retrograda labere Glauce via
Ne vos littoreas deceant excurrere metas.
Hic vobis tumidos fas poſuiſſe pedes,
Nec non luctantes deponite prælia venti,
Quiſque ſuum placidum per mare carpat iter
Hæc fatus: fuſco terguntur nubila Cœlo
Ventorum ſonitus, murmur & omne cadit.
Clara ſerenati facies reſeratur Olympi,
Splendida purgato fulgurat axe pharos:
Facta quies pelago, poſuerunt ſtrata tumultus
Æquora, cærulei vanuit ira Dei.
Vivit adhuc gente illa tanti fama ſtuporis,
Vivit ut à priſco tradita fertur Avo.
Sed jam proximior ſtadio matura ſenectus,
Curva viri nimio pondere membra gravat:
Feſſus vix Paphios intraverat advena portus;
Extremos vitæ noſcit adeſſe dies

Hic comite Esichio venturo se parat ævo,
    Hortaturque animam, flensque, pauensq; suam
Egredere, egredere, innumeris jam functa periclis
    Quid nunc mortali luce carere times?
Tempus ad hoc tibi dona quater sunt lustra peracta,
    Te superus fidam novit Herus famulam
En vocat, Æthereus reserat sua brachia sponsus,
    Ut volites recto tramite signat iter.
Dixerat: Aligeri circumdatus agmine cœtus,
    Spiritus Empyrei culmina, lætus adit.
Nunc ubi perpetua tua gloria prominet Alba
    Occiduis numquam præcipitanda plagis,
O' ter felices, nimium, nimiumque labores,
    Qui tibi sidereum parturiere decus,
Quis timeat terris sudore rigare coronas
    Si tanto surgit fœnore palma polo?
At tu cui pedibus data sunt nunc astra terenda
    Carmeli numquam despice vota Pater:
Sivè tuendo oculi; seù corda beantur amando
    Faustum hilari nobis nomine, Numen ades.

ARGU-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. SERAPIONIS.

Erapis apud Memphyticos gentiles, Numen Ægyptiorum reputabatur; quippè qui uti inventor insitionis aratri, vini, & omnium ad vineam dependentium adorabatur. Hinc ab illo populo, omnibusque Pelusiacis regionibus Deifico colebatur honore. Credula proh nimium fatua gens, illum jure optimo sidereos orbes ascendisse, qui primus vomere terram ruperit, aperueritque novalia campis. Hic tamen à nostra Camena saniori consilio despicitur, uti Ethnicus, ad quem lumen veræ fidei non pervenerit, & consequenter gebennæ cruciatibus æternùm addictus. Invitat nihilominus sacra nostra Pieris Memphyn, ut Serapionem germen clarissi-

mum Carmeli celebret, tamquam verum Cœlorum incolam, & cui non desit prisci illius nominis cognatio, nec Ægyptiæ regionis patriæ identitas. Fuit namque noster Pater Serapion natalibus Ægyptius, & cum à divino spiritu impelleretur mundanam despicere gloriam, ad loca Carmelo proximiora contendit, ubi cum ceteris Eremitis vitam agrestem diu egit, sed dulcem favoribus supernæ Charitatis protraxit. Tamdiù incolatum habuit, donec cœlesti dispensatione, Pontifex Antiochenæ Ecclesiæ electus fuerit, unàque omnium Syriacarum Ecclesiarum Præfectus. In hoc munere, quantum Ecclesiasticam dignitatem exaltarit, quantumque divino honori incumbuerit, nullus exprimere sufficit: Erat enim in charitatis officiis erga proximos visceribus plusquam maternis, & quàcumque audiebat pauperes ab egestate opprimi, illùc ad subveniendum advolabat, nec tantum suis Diœcesanis opem præstabat, verum etiam exteris miro amore succurrebat. Existimata fuerunt, aurea secula, quæ sub auspicio tanti Præsulis emicuerunt, nedum ob mutui amoris humanitatem, sed etiam, quia ignorabant inopiæ calamitates, à qua velut fonte,

innu-

innumerorum damnorum ſcatebræ diffluunt. Hac Sanctus ſenex, meritorum ſuppellectile ditatus, dum indefeſſis viribus ſuo gregi ſubveniendo incumbit, ad cœleſtem Patriam evolat, interque Coriphæos Empirei viridarii annumeratur æternùm regnaturus. Huic ergo Pontificum Heroi annuit Muſa, ut templum conſtruatur, & priſci Serapidis delubra deſtruantur, deſignatque delineamentum ſacri phani, nec non gentem Canopi invitat, ut Sanctiſſimo Patri veræ laudes ingeminentur, poſthabitis plebeis clamoribus, qui gentili Serâpidi ſub forma bovis exolvebantur. Nilum quoque hortatur ut ſeptemplici ore ſuarum undarum tributum deferens, oſculetùr erecti phani lapideos pedes: At mox poetica poteſtate, deſpecto Nili obſequio aſpicit flumen Nilo feraciùs è Cœlo deſcendens, quod in templo Serapioni erecto ſe ſiſtat, & ſepteno ore templum alluat. Figuratur hoc flumen à Muſa, quod ſit divinæ Gratiæ perenne fluentum, quod cataclíſmo ſeptenorum Sacramentorum, ſacram domum cohoneſtando, irriget, in quorum deſcriptione Sacramentorum Camena ſuas fides abſolvit.

CAR

CARMEN IX.

DEsine Mēphy sacro celebrare Seràpin honore
Prima licet pharii Numinis ara vacet
Dic mihi. Cur rapuit stellatos æthereis axes
Vomere Niliacam, qui prior egit humum?
Mergite sidereos forsan sibi comparat orbes
Tellurem ferro sollicitare potis?
Desine: Non Dium meruere novalia cultum,
Non sulco ad superum sternit arator iter
Ille Parętonios fateor proscidit aratro
Primus agros, pressit pondere colla boum.
Tunc glebà attritum cœpit splendescere rastrum,
Stivaque taurinos torsit acerna gradus.
Mystica prætereà prodivit vannus Jacchi,
Plaustraque Eleusinæ prosiliere Deæ.
Tunc Pelusiacis sunt credita semina terris,
Reddit quæ nimio fœnore flava Ceres
Non secus Ægypti campos, primusque Canopi
Lata racemiferis vestiit arva comis.
Nam docuit quanam potius tellure Lieus
Turgeat, an plano gaudeat, anne jugo?
Populeum viti docuit sic nubere robur,
Vt tumeat Bacchi palmite gemma novo.

Ipsi

Ipſi (Fama refert) botros matura recentes,
Purpureos primùm fecit & uva pedes.
Arriſit tepidis ſpumans vindemia labris,
Ceſſerunt pleno fervida muſta lacu
Enſifer ætherea Chiron quà ſede recluſus
Hauſit Apollineæ lumina prima facis.
Tunc pede colliſus Liber per vimina currit,
Sanguiueus fluxit per nova præla latex:
Fertur & ante omnes ſummo tetigiſſe labello
Cymbia, mox gemina præripienda manu:
Fertur & arbuteos fœtus creſcentis olivæ,
Et quæ ſilveſtri cortice poma virent,
In ſapidas gemmas,dulcemque animaſſe Minervam,
Inque bonum frutices conſeruiſſe genus
Omnia telleris demum Saturnia dona
Ægyptum valuit prædocuiſſe rudem;
Non tamen hæc aras meruit ſapientia Divûm
Memphy, nec his Serapis Numinis emit opes
Sordent Cœlicolis terrena vireta, nec iſta
Aſtriferas adiit Navita merce plagas.
Stulta fuit tales gens, quæ ſacravit honores,
Nexuit aut capiti florida ſerta ſuo
Stultior at pharia Myſtes, quæ fudit acerra,
Et genibus ſupplex maſcula thura dedit

Si ne-

Si nescis: Illum lethææ ergastula vallis
　　Stipant, quam circum Tænara saxa sonant:
Quà piceos agitant incendia turbida fumos
　　Ipsius æterno stat Phlegetonte locus.
Quot miser innumeras patitur sine fœdere pœnas!
　　Infelix! Mortis quæ simulacra videt!
Tortorum manibus, medios jactatur in ignes;
　　Mox subit oppositas corde tremente nives
Has ad Avernales glacies, calet Ister, & Hebrus;
　　Et tepido Tunais gurgite volvit aquas,
Una stygis totos superat fax parva Vesçvos
　　Ætnei friget torrida flamma rogi
Gorgonas, & Sphingas, larvas, interque Chimeras
　　Ille teret noctes, & sine fine dies.
Hæc, hæc Lagæum manserunt fata colonum,
　　Hæc Serapis sedes, hæc sibi Dyte domus.
Tolle sacros ergo Memphys, rape Nilus honores
　　Structaque de Pario marmore templa cadant.
Thuribus ara vacet, desint opobalsama phano,
　　Nec cadat ante suos icta juvenca lares.
Sed si tantus amor, patrium celebrare Seràpin,
　　Huc precor, huc oculos dirige Memphy tuos
Cerne alium Dio dignum Seràpida cultu,
　　Cui cunas etiam patria terra tulit.

Aspice

Aſpice Carmeli famoſum culmine Patrem
    Hic eſt, hic merito dignus honore coli.
Illum mortales tegerent cum carnis amictus
    Vomere non juvit dilaniare ſolum,
Sed ſilvas inter, nemoroſaque luſtra ferarum
    Ære ſuum potius dilacerare femur.
Longa fames, modicæ ſemel indulgere placentæ
    Non valuit, Cereris mandere neve dapes;
Aſt incultus ager pomis agreſtibus eſcas
    Præbuit, aut tenues faucibus herba cibos
Lesbia mentoreis hauſit non pocula ſignis,
    Nec bibit in nitido cœcuba vina vitro,
Deſpexit ſapiens, fatuus quæ Mundus adorat
    Ad ſuperas toto pectore verſus opes,
Sæpè gelu madidus circumfuſuſque pruinis
    Senſit hyperborei frigora ſæva capri,
Sæpè illum arenti combuſſit Sirius aſtro,
    Dum redit ad Syrios pulverulentus agros.
Mens tamen æthereos peragrabat fervida campos
    Hærebantque polo lumina, genua ſolo
Inſonuit quoties Divorum laudibus antrum!
    Reſpondit quoties murmure ſilva pio!
Æqua fuit nocti lux, nox fuit æqua diei
    Davidis aſſiduos audiit utra fides,

Sed Deus haud ultrà Serapida vivere rupe
    Annuit, & patrios cogit adire lares
Intereà Præsul legitur gregis Antiocheni,
    Et subit invitus Pontificale decus.
Præficitur Syriæ Pastorum legifer aris
    Omnis ei veri panditur aula Dei
Aurea sub sacro fulserunt Principe sæcla;
    Nam risit rabidum sima capella lupum.
Hinc secum, quòcumque gradus converteret Heros
    Uberibus plenis copia dives iit
Quos non est inopi segetum largitus acervos?
    Imà pauperies est tumulata styge.
Ipse animo grandis, peragrantis fluminis instar
    Fertile triticeas ore vomebat opes,
Nec tantum populis sunt didita dona propinquis,
    Sensit munificas longior ora manus
Testis Alexandri, testes Semyramidis Urbes,
    Omnibus auxilium Præsulis arca fuit
Qualiter auriferis Ganges fœcundus arenis
    Proxima non solum florea culta rigat,
Sed longinqua petens sua munera prodigit, arva
    Irrorat, vena divite rura beat.
Invidus at terræ polus, ad se transtulit illum
    Sideribus Serapin inservitque suis

Dicite

Dicite nunc (ſpectatis enim, & narrare poteſtis)
Semideo Superi, gaudia quanta manent?
Eſt locus aſtra ſuper ſuper atria dædala Cœli
Trans hyperioniæ lucida tecta facis
Purior electro, rutiloque coruſcior auro,
Regia, mortali non fabricata manu
Cimbala quam circum pendent, lituique lyræque
Barbitaque, & variis nablia mixta tubis
Hic ſuperúm chorus æterno modulamine gaudet,
Hic canit æthæreo pneumata mille Deo.
Hac immortalis delapſa eſt arce voluptas,
Elyſioque madet nectaris imbre domus:
Quandoquidem numeros teſtudine pangit eburna
Ales, & alternas hic ciet ille fides
Ter recinit Sãctum, mulcens Citharędus Olympum
Ter geminat Numen. Plauſus ovatque melos
Hàc Serapis ſedet, æternumque ſedebit in æde
Sunt hæc virtuti debita regna ſuæ
Huic tu quàm melius Memphys delubra dicabis,
Ne foret id nati nomen inane tui,
Ergo Parætoniis niveo de marmore turres
Deſtrue: nutantes ſubrue Pyramides,
Atque ubi ſiderei pulſarunt aſtra coloſſi
Illic pertingat ſidera, ſacra domus

Auguſtum immortale, ingens, venerabile templum
Conſtrue, cui cautes patria terra dabit.
Limina ad hæc venient pendentia Mauſolæa,
Et Triviæ lapides, & Babylonis opes
Interiora cedro fabrefacta ſedilia ſurgant,
Cardineos forment fuſa metalla fores.
Hùc vehat aurifero quidquid Tagus abdit in amne;
Lidius huc hebenum, deferat Indus ebur.
Fulchra paret centum ſcalpris diſſecta Cariſtos
Tunc dives, ferro cum lanianata ſinum
Arduus in medio, templumque, aramque tenebit
Serapis, ante oculos hoc tibi Numen erit;
Pendula parietibus ſpatientur vellera Serum
Ter quater è Tyrii murice pota ſali
Phœniſſæ veſtes, & fuſilis ære Corinthi
Figatur, ſupero multa tabella tholo.
Quadriforem lampas fundens argentea lucem,
Artis opus miræ ſub laqueare micet
Prætereà Syrias halent altaria merces
Vratur ſacris meſſis odora focis
Scilicet Æthyopo, quod cortice ſurgit amomum,
Quæ Cylicum campis cinnama nigra virent
Fument. Nec tremulis deſint opobalſama flammis,
Vecta nec Eois thura Sabea plagis

Mox

Mox operata ſacris geminet Peluſia pubes
Innumeros plauſus, carmina feſta ſonent;
Nam canat ut noſtrum tranaverit aera victor
Sidereoque ſuper limine celſus eat,
Nec taceat quantum populis, dum vita manebat
Fudit largiflua munera magna ſtipe.
Talia tu voti compos, ſi templa dicabis.
Quã Tu,quam Serapis. (Memphy) celebris eris!
Auguror: Infernas acies terrore laceſſes
Tartareo indices bella pavenda Jovi
Tiſiphone fruſtrà, fruſtrà rumpetur Erinnys
Altera rupta genas, altera rapta comas
Cerberei proceres, Plutoque inglorius Orco
Invidia, ſtygium virus ab ore vomet.
Tu quoque ſub tanto (meliore Serapide) Divo
Quam mage famoſo gurgite Nile flues!
Lætior amplexis argentea baſia campis
Nile dabis: reddet baſia campus aquis.
Tunc precor haud properes nimia vertigine curſum,
Ne tua tam volitet præpete lympha pede.
Segniùs undiſono ſpumantia Tethyos arva
Amne petas, medio ſiſtat, & unda vado
Ominibus ſacris templi, criſtallina regna
Devoveas, & quas pectore condis opes,

Dumque

Dumque triumphalis ſeptemplice laberis ore
    Cærúleo pronus lambe ſacella labro
Fallor: Ad has aras Nilo fœlicior amnis
    Accedet; ſuperis qui ſcatet ille plagis
Vota manent: ſeptemgemini pluit ubere rivi
    Fons ſacer, eſt animis unde bibenda ſalus.
Septenos aditus, ſeptenaque fundit Olympus
    Flumina; ſed virtus nec liquor unus abit.
Cerno equidem pura ſpatiari Nayada limpha
    Hic ubi marmoreo margine ſiſtit aqua.
Hæc genus infantum primi ſub luminis ortum
    Eluit, & veteris crimina mundat Adæ;
Priſca ſed illa lues, terram ſudore rigari,
    Quæ fecit, lacrymas, fecit & eſſe dapes
Vivit adhuc, cordi vivit lethabile virus,
    Noſque juvant, ſtygio bella ciere Duci
Subſidia huic pugnæ fons porrigit alter olivi,
    Et luctæ faciles ungit ad arma manus.
Forſan Avernali ſi quos ſuccumbere morti,
    Aut animæ vulnus fata dedere pati:
En alii ſurgunt latices, commune lavacrum,
    His mentes lota tabe piantur aquis
Non ſemel è paſſo majus capit ulcere robur,
    Si quis ut Anthæus matre reſurgat humo.

Nunc

Nunc age: Quanta patent oculis miracula! Bacchi
Purpureus ſtupido manat ab axe cruor!
Cui commixta Ceres mediis altaribus. Ille
Divinos hauſtus, præbet at iſta cibos
Non tamen illa Ceres, de frugibus orta propago,
Nec quæ de viridi palmite vina fluunt
Numen id eſt, Cererem ſimulans, ſimulanſq; Liæum
Paſcat ut ambroſio nectaris imbre ſuos.
Non longè, en alio captantur lumina rivo,
Non iſto uberior culta quis arva rigat
Hunc circum pubes ſanctorum ſidet amantum
Connubii ſacro, quæ fovet igne faces
Roribus his luſtrata furores neſcit iniquos,
Non ultra fines bella Cupido movet,
Hinc venit ad partus melior Lucina pudicos
ne Cyprio proles ſit maculata dolo.
En ubi ſupremi perventum ad limina fati,
Manat Palladius mortis agone latex
Huic commixta linunt morituro balſama corpus
Vltima poſtremis eſt panacea malis.
Auſpicio venit hoc, ævi melioris origo,
Pacati certum Numinis omen erit,
Denique ſepteni delabi fonte Minervam
Aſpicio: rores pinguis oliva parit.

Acci-

Accipiunt guttas Superûm desponsa Tonanti
    Agmina, bis geminas unguine fota manus,
Quæ mox fœta Deo: quà verba feracia promunt
    Æterni partus Numinis, ore gerunt,
Scilicet apponant aris vescumque Tonantem,
    Sanguineos Domini, suscipiantque scyphos
Hæc tamen evenient Memphys; cũ Numine dextrò
    Antea sis Serapis tuta patrocinio.
Auspiciisque suis tanti penetralia templi
    Exurgant, ullo non peritura die
Audiit hæc Cœlum: Jam conscia sidera plaudunt!
    Æthereus lævo Juppiter axe tonat!
Jussit Olympus io! Sint aurea condita phana,
    Posthac, despecto Numine cornigero,
Quã merito ante sacras ędes, procumbet humi bos,
    Infami nuper cultus honore Dei.
Desine clamores Nilotica fundere pubes;
    Amplius haud fluvii margine, plange bovem
Ast alium centumgemina cole voce Serapyn
    Cui tegat ex astris texta corona caput
Tristitiam strepitusque malos, gemitusque dolentes
    Imbrifer Jonium per mare Caurus agat;
At polus harmonico sonet hoc Pęana triumpho.
    Hic indiscreto nomine, Divus ovet.

ARGU-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ DIVÆ EUPHRASIÆ.

AMbas Carmeli coronas amicituras regale caput Cœlorum Reginæ ex nobilissimis, regalibusque floribus esse compactas conveniens fuit. Alteram hanc præcipuè præferentem nostri obsequii primordium ex augustissimis flosculis intextam esse decuit. Hujus coronæ præstantissimus, & verè regius flos extitit Euphrasia Carmeli germen, quippè quæ Theodosium Imperatorem sanguine attingeret, & ex Patre Antigono, & Matre Euphrasia Cæsareo è sanguine oriundis parentibus nata est. Vidua Euphrasia mater effecta, operibus piis incumbere, satagebat, & sacras venerari domos, præsertim Monialium anhelabat, quas suis facultatibus largiter juvabat. In The-

Thebaidem interiorem profecta, (cui carum pignus Euphrasiæ unicæ filiæ comes erat individua) sacrum Gynecæum reperit, ubi cum dilecta infantula aliquantum est immorata. Fuit hoc Monasterium à Divo Cyrillo Carmelita erectum, existimabaturque illarum regionum, maximum portentum. Unica etenim Priorissa centum, & triginta moderabatur Moniales suprà sexum, suprà naturam severiori disciplinæ addictissimas. Mirum erat quanto ardore regularia subibant ministeria, pœnitentiæ præsertim amatrices! Onerabantur ciliciis, orationi assiduè vigilabant, & jejuniis adeò saturabantur, ut earum plures, triduo & quatriduo ab escis abstinerent. Hùc advolabant plurimi, gratias præstolantes, & dignabatur Dominus ferè omnibus petitas gratias impertiri. A Dæmone obsessus liberabatur, cæcus lumen hauriebat, surdus auditu fruebatur, omnis æger salutem redimebat. Hìc ergo dum Euphrasia Mater cum dilecto pignore moram faceret, incessit desiderium Euphrasiæ infantulæ, Monasterium ingrediendi, quo ingresso, major exarsit cupido illius incolatus, interque illos Virginum choros, cœlesti Sponso inserviendi. Hoc patefacto arcano

no Matri, turbata est Euphrasia, nimiùm tenera amore filiæ: Videns tamen hoc humanum opus non esse, lacrymis madida, dilectam prolem Crucifixo præsenti obtulit, obnixèque precata est, ut illius pupulæ curam haberet, quæ sibi eum sponsum elegerat in tenerrimo ætatis flore. Verum enim verò cum sacrum Gynecæum ingressa fuisset infantula, mirum est quanta celeritate virtutum omnium calcarit semitas. Humilitati, patientiæ, jejunio, assiduæ orationi, laboribus perennibus obnoxia, adeò profecit ut brevi cœteras quamvis veteranas sorores sanctitate præiret. Satanæ luctaminibus non tantum obstitit, sed Dei gratia favente, semper victrix prodiit ab eis. Evenit sæpius ut solo Sponsi nomine invocato, astus infernalis hostis eluserit, qui illam modò in ferventem lebetem, modò in puteum profundum præcipitabat. Monialem Energumenam reddidit obedientem, quę limphata, nullis erat hypothecata præceptis, quàm demum à Dœmonis servitute vindicavit. Innumeris ergo dives meritis, tantisque coronata virtutibus ultimæ diei attigit punctum vocante Sponso ad immortales coronas. In hoc carmine describitur Sancta hæc triumphatrix Mundi,

 Carnis,

Carnis, & Dæmonis, prò queis triplex corona pro triplici victoria designatur, sua tempora decoratura. Primus triumphus annuit Musa, sit de Mundo, quando Euphrasia Sponsum nobilissimum, Imperatoris consanguineum despexit, ob amorem Sponsi immortalis. Secundus triumphus annuit sit de carne, quando illa supra vires tenuissimum corpus, durissimis obstrinxit afflictationibus. Tertius triumphus annuit sit de infernali Dracone, qui frustrà in eam innumeras tetendit insidias, & cui tandem à corporibus obsessis jussit terga dare, bisque coronis Camena coronidem imponit carmini.

CARMEN X.

IDus tergeminæ Martis venere quirini.
　Fulgeat hæc roseo lux sine nube polo.
Quisquis es Euphrasiæ natalibus annue Divæ,
　Tollatur nomen ter super astra suum
Luce sacra posito tellus requiescat aratro,
　Imponat pensis fœmina nulla manus.
Virginei antè alios cœtus gaudete, ligustra
　Nectite temporibus, lilia ferte comis

Vir-

Virginis hoc meritum, petit hoc festivà triumphi
    Gloria, felici nunc remeata die.
Cantarunt memini nentes fatalia Parcæ
    Stamina non aliquo solvier ausa Deo;
Hanc fore Tartareas, posset quæ sternere turmas;
    Quam tremerent atri squallida regna Jovis
Evenere: Novas Cœli stupuere coronas
    Tres vicit rabidos unâ puella Duces.
Tu modò si primis redimo non tempora, vittis,
    Si non Pierias advena pulso fores
Phœbe: alias largire precor de Daphne corollas,
    Da veteri latices fonte bibisse novos,
Scilicet ingeminent triplex sacra fila trophæum
    Virgo quod è trinis hostibus una tulit.
Jam septennis erat comes indefessa migrantis
    Euphrasia, Euphrasiæ nata parentis amor
Transierãt Cycladas, celebres & Apolline Delphos,
    Sulcarant rubri marmora vasta maris
Emensæ Babilona simul, phariumque Canopum
    Et Pelusiaci proxima regna soli
Ad fortunatas tandem Thebaidis oras
    Perveniunt: Patribus tesqua referta piis.
Colle Gynecæum quodam surgebat, erantque
    Virgineis tantum credita claustra choris

Hæc

Hæc loca Cyrillus ſanctos imitantia lucos
    Carmeli Dominæ fecerat antè ſacra
Centum, & ter denis velatis colla puellis
    Fas fuerat caſtos incoluiſſe lares
Fœmineum genus ò queis vos ego laudibus ornem?
    Vos canat innumeris poſtera Fama tubis.
Non vos ulla dapum tenuit, frugumque voluptas:
    Non quas irriguus porrigit hortus opes
Grata nec auriferi mulſerunt pocula Bacchi.
    Nec ſata Cecopriis mella liquata favis,
Victus erat radix herbæ, ſeù triſte ligumen,
    Vel quod nativa gramen abundat humo,
Fercula quæ nullum poterat condire ſalinum,
    Palladis Aſſyrius nec tetigiſſe latex.
Adde quod his eſcis, menſas onerare decebant
    Convivas, una non niſi luce ſemel;
Tum cùm declivis ſpatium permenſus Olympi
    Verteret Occiduos in mare Phœbus equos
Fortunata fames, fœlix penuria cenſus,
    Cara nimis vobis ingenioſa ſitis;
Namque miniſtrabant ſuperi convivia Cives,
    Fuſus in ambroſiam, ſe dabat ipſe polus.
Sons erat, illimi ſi brachia tingere fonte,
    Aut vellet teneros Virgo lavare pedes.

Si

Si quando rigidis languebant corpora morbis,
Quam lentè medicas applicuere manus!
Et ni processu pestis depasceret artus,
Frustrà Peoniæ quæreret artis opem
Quid mirum? Poterant ipsa contendere morte
Dius amor lethi spicula nulla pavet
Quæque sui vindex: variam curvata per irim
Stringebat tenerum ferrea zona femur.
Aspera setoso mordebat stamine cyclas,
Intrisos lumbos sanguine calce tenus.
Vesper ubi fusco se se patefecit Olympo
Juvit eas, duro sternere membra solo
Cervici pulvinar erat, seù agger arenæ,
Seù de saxoso culmine cœsa silex
At quam somnus iners! modicæ mensura quieti
Luna fuit, medium nocte resecta polum;
Tunc vaga stellarum pellebat turba soporem,
Invitans choreis evigilare suis
Perque vices leni modulari carmina cantu
Davidicæ quondam pectine lyræ.
Limina ad hæc veniens, profugus de cardine mortis,
Illico vitalem repperit æger opem
Vos ego nunc testor, Lunæ quos motus agebat,
Queis dederat trepidum turbo rotare caput,

Vt

Vt ſacra phrœnetici tetigerunt atria greſſus
    Nonne fuit vobis ingeminata ſalus ?
Dicite ſilveſtrem formam, vultuſque ferinos
    Induti, medio turma voluta fimo
Quam citiùs penetrante gradu pia templa, feroces
    Mutaſtis rictus ? fulſit & ore decor ?
Cernere erat miſeros, Phœbi qui lumina numquam
    Aſpexere, mora quàm ſine, luce frui !
Hic qui vocales numeros diſtinguere fando
    Non valet, ad vocem quam benè verba parit !
Ille ſonos haurit, qui bellica ſiſtra, nec umquam
    Obſtructa flexas audiit aure tubas
Antè fores demum correxit ſtamina nodo
    Penè inciſa ſua territa Parca manu.
Venerat Euphraſia hùc utra; at non utra receſſit,
    Pupula nam clauſtro clauſa, manere petit
Ter conata ſuam genitrix evertere natam,
    Ipſa ter ut ſcopulus reſtitit actus aquis.
Tum ſine conſilio divini Numinis; hæc non
    Eveniſſe putans. Talia Mater ait
Spontè feror, quócumque trahit me Dia voluntas
    Dimidium cordis, Chriſte prehende mei
Auſpice te mortes, mala, nulla timenda pericla;
    Quod dederis natus Virgine, pignus habe

Hæc

Hæc ubi dicta tulit lacrymis discessit obortis;
Sed mansit sacra pupula læta domo
Inde suo virtus animo, crescentibus annis
Crevit, ut in pleno Cinthia mense tumet.
Vestales (mora parva) inter sanctissima sanctas
Fulsit: ei palmas cesserat omnis anus.
Hæc tamen absque gravi non est data gloria bello,
Sanguinis haud expers parta corona fuit;
Indignatus enim deludi Mundus ab illa
Has tulit armato sæpius ore minas.
Tu ne potes demens oblita puella tuorum
Irretita specu degere more feræ?
Nec te materni deflexit lessus ocelli
Aut patriæ movit nobilitatis honos?
Stulta quid hic poterit montanis carcer in oris
Vel donasse boni, vel minuisse mali?
Tale meret Patris genus alto è sanguine Regum
Dedecus, ut servis, filia serva foret?
Viveret Antigonus, solidosque è cardine postes
Velleret, aut clausos ureret igne lares.
Ille bonam pretiosa odia, exerceret & iram,
Teque sua raperet nil remorante manu.
Scinderet ille tuas immundo syrmate vestes,
Et quæ molle tegunt vellera dura latus

Nunc etiam Elyſiis pro te triſtatur in hortis,
Et qua voce poteſt, filia dicit abi.
Ah te ne tanti capiat dementia, Manes
Ut lædas placidos, Patris & umbra gemat.
Dic mihi quid prodeſt femori revolubile ferrum
Nectere, & ante tuam ſic cecidiſſe diem?
Imminet ah cunctis mors ultima linea rerum,
O' quam veloci labitur illa pede!
Aſpicis ut Pęſti ſurgat roſa nata vireto
Quà dederunt Soli ſidera victa locum;
Quàm benè purpureo ſe tollit mane galero!
Quàm benè punicei muricis abdit opes!
Hujus mox rutili coma decidit ignea floris
Occulti pendens germina fulva croci
Tot ſpecies, tantum decus, oſtrinoſque nitores
Vna dies reſerat claudit & una dies!
Sic properare tuam memor eſto puella juventam
Subrépet canis ægra ſenecta comis
Si ſapis, utaris totis formoſa diebus:
Dum nunc ridet Eos, collige Virgo roſas
Indue ſepoſitam veſtem, tunicamque nivalem
Aurata libeat, cyclade membra tegi
Te vocat imperii dominatrix Urbs Orientis,
Invitat refluus Boſphorus ad reditum;

Quid

Quid quod sollicitat cœlestia Numina sponsus,
Expectans pacti fœdera connubii,
Te petit absentem, te suspirat redeuntem
Stans desiderio, nocte, diéque tui.
Sed quæ pompa manet, cum tu formosior omni
Quadrijugis curru sessa vehéris equis?
Argolici occurrent proceres: festina juventus
Festiva plaudet te veniente chely,
Sed quæ largitura parat tibi munera Socrus?
Quæ vehit Hermus aquis, quæ maris unda fovet.
Illa quot Eois fulgent donaria gazis
Fundet, quot rubro littore Nauta legit,
Et tibi jam pectunt ardentia vellera Seres
Textaque Nilotis stamina, pingit acus.
Quare age, quam primum patrium pete doctior axē
Quæque tibi referant funera, claustra fuge.
Talia fallaci Mundus jactabat ab ore
Verba; sed haud ullo flectitur illa sono
Qualiter Jonio rupes objecta fragori
Permanet, hinc frustrà Caurus & unda furit;
Quin alios forti meditatur mente triumphos.
Scilicet è propria carne trophæa gerat,
Nec mora, nec requies, inopi jejunia victu
Orditur, longis asperiora moris

Septeni Soles, totidemque ſororia Phœbes,
Lumina, circuitus dinumerata ſuos:
Expertem videre illam, limphæque, cibique,
Sicque diù duræ ſuccubuiſſe fami.
Cœlicus acer Amor, crebros perferre dolores
Edocet, & laus eſt inquit amore mori.
Hic docuit gladio Catharinam ſternere colla,
Hic rabidas Techlam vincere morte Tygres
Hic & Apolloniam mediis occurrere flammis
Ignitas Agnam nec timuiſſe pyras:
Hic docet Euphraſiam, ſubiiſſe laboris acervos,
Et tenero vivam corpore ferre necem
Dulce pati viſa eſt ſibi nullis cedere nimbis,
Æſtivum capiti vel tolerare jubar,
Dulcius immanes fluvii fulcire lacerto
Moles, & plenis ire, redire cadis.
Hæc melius, quam vos vacuis ò Belides urnis
Quæ non manſuras utre refertis aquas;
Quandoquidem Charites his fluctibus, Heroinam
Ad patrium facient velificare polum,
Ac velut in pratis argumentoſa remigrat
Circum lilia apis, libat & ore roſas
Fervet opus, ſtimulatque favi mellita cupido
Roſmaridos frutices, & populare thimos

Sic

Sic humeris Virgo fascem de palmite trunco
Bajulat, ardenti vivat ut esca foco.
Sic vehit ingentes cautes de monte colurno,
Quasque negant vires membra, ministrat amor
Olim Sisyphii fuit horrida pœna reatus
Vertice de montis, lapsa, relapsa silex.
Non ita Virgineis lapis hic evectus ab ulnis,
Nam struit ætherea desuper arce domum
Sic agitata caro, tandem sua castra reliquit
Cœlicolæ Chariti, strataque mansit humi;
Non tamen inferni cesserunt arma tyranni
Nec furiæ, pugnas dedidicere suas;
Tum Deus imperium, cui est Phlegetontis & Orci
Vipereo rabidos sic ciet ore sonos.
Tartarei proceres, nos, nos vincemur inulti?
Et poterit fragilis temnere Virgo stygem?
Ah dolor ah (priscæ si tangit gloria famæ
Tum cum sidereo movimus arma foro)
Audiat imbellis Cociti fœmina rhombos,
Quid lethæa queat, sentiat illa manus
Quid moror? anguineo laniate volumine membra
Et sua Cerbereus devoret ossa Canis
Per Dytis chalybes, Cocitia tela, per ignes
Tænarios, mortis discat adire specus

Dixerat:

Dixerat: eventus, plutonia verba sequuntur,
Nec renuit stulti prælia Virgo Ducis.
Posthac intortis sonuerunt colla catenis
Non semel Euphrasiæ, cœsaque terga flagris
Mulciberi quantum malleo liquefacta Pyracmon
Sub Cybeles antris percutit æra faber;
Ast alibi dum ligna secat, Cacodœmonis astu
Se ferit, & multo sanguine tingit humum,
Nec saturata fames Stygii malesvada Draconis,
Cruda nec est fuso dempta cruore sitis.
Fortè ministerio ceù semper dicta Sororum,
Servatas puteis hauserat imbris aquas
Præcipitem toto se vidit corpore in undas
Hostis ab impulsu, navifragamque lacu,
Illisumque caput lapidi, tunsumque cerebrum;
Et penè exanimem delituisse vado;
Diva tamen, Sponsi scapularum tuta sub umbra,
Hunc vocat, & colubri sentiit esse dolos
Cedite ait pestes Erebi: non mergitur amne,
Quam cremat ætherea lampade, Dius amor
Ille fugit; non arma tamen, non deserit artes;
Sed rediens Parthi prælia more novat.
Detulerat Virgo ramalia sicca culina
Truncatum foliis jamque pararat olus

Vnde

Vnde cibum coquere, ac igni mollire polentam
Poſſet germanis, quæ foret eſca ſuis.
Pendulus accenſo concludebatur aheno,
Fervebatque ſuo, ſpumeus igne latex
Hunc ſuper Euphraſiã, genius male volvit iniquus,
Vt ſua candeſcens ardeat oſſa lebes
Exanimem Divam, ſoror omnis ab ære voluto
Æſtimat, & lacrymis intepuere genæ
Viſum aliter Superis: lædit non flamma puellam,
Sed potius placido membra tepore madent.
Atque inquit, non tæda nocet, non devorat ignis
Cui dedit è ſupero fonte bibiſſe Charis
Ex tunc inſidias Satanæ deriſit, & aſtus;
Imperiis preſſit quin nigra regna ſuis;
Nam tunc clauſa domo vexataque Dœmone ſtabat
Magdala Veſtalis, vincta manuſque, pedes.
Huic propior fieri, famulantum quæque pavebat;
Lymphatos adeò vibrat ab ore ſonos:
Tù tamen Euphraſidè furiis feralibus, una
Occuris, potes & ferre ſalutis opem
Quippè jubes eſcis nullo cogente creatis
Veſcier, & diram ſpontè levare ſitim.
Illa velut dominæ ſcuticæ tremefacta lupatis,
Prompta ſtat obſequio, duraque juſſa facit.

Bac-

Bacchantem tandem dominanti ſtringis habena;
Elicis hæcque tuo pectore, plena Deo
Maturate fugam Cocitia monſtra, nec umquam
Poſthac humanis vivite corporibus
Linquitis obſeſſam, ſtygioque hæc dicite Regi,
Non vos æthereas fas habitare plagas.
Vos Erebi, & luctus manet illethabilis ora,
Cimmeriique decent lurida regna chaos
Dixerat: immundus ſuperas citò ſpiritus auras
Liquit, & obſcurum præpes adivit iter
Cumque fugaretur Pytho de corpore dixit.
Tres vicit rabidos, una puella Duces
Hactenus hos modicus potuit cantare triumphos
Tergeminos, Vates, deficiente ſono.
Te modo Diva tenet, nitidi penetrale Tonantis
Poſt bellum, feſti plaudit, & aula poli
Fœlix quæ tantos potis es domuiſſe Tyrannos,
Et parta æternos vivere pace dies
Nunc ubi crudeles inter nos degimus hoſtes
Euphraſide, ſuperis auxiliare choris
Te face, victores ſuper arce Sionis ovantis.
Scandamus, compti Daphnide fronde comas
At tù natalis Divæ lux candida, nobis
Hac facie ſemper, vel meliore redi.

ARGU-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. EUPHROSYNÆ.

Euphrosyna portentum gratiæ; quàm meritò gratiæ nomen fuerit adepta, ipsa ejus gesta mirabilia testantur. Fusis Deo precibus, parentes eam impetrarunt, & cum steriles fuissent, illam voti filiam nuncupabantur. Quæ formæ elegantia in Euphrosyna! quæ gratia in puella! Erat una, unicum Parentum delicium! Has tamen gratias naturales, longè gratia Dei spiritalis superabat. Nil puerile in illa puerili ætate! imò totam se Deo vovere unicum erat sui cordis centrum. Jam nubilis, puellam Parentes Adolescenti nobilissimo æquè, & ditissimo desponsarunt; procul tamen à suo pectore erat cujuscumque terreni amoris amor. Dies aderat

celebraudis nuptiis ſtatuta? Ah quid faceret? Recuſare paterna reverentia non patitur, fugam meditari, ſexus, ætas, tanta pulchritudo obſtant. Cœleſti Sponſo deficere, potentior amor vetat. Hos inter animi æſtus, eccè æthereus Sponſus, cui ipſa candidiſſimum ſuæ virginitatis lilium dicarat, magnum facinus inſpirat. Fœmineis exuit ſe veſtimentis, virilibus induitur, & tempore nocturno per medios aulicos, paternoſque lares clam fugam capeſſit. Mundum totum eludit, pretioſo ſe nomine Smaragdi contegit, cælanſque conſilium ad quoddam Religioſorum cœnobium pervenit, genibuſque ſupplex, Priorem rogat, ut in Fratrum adſciſceretur numerum. Adſcita, quàm brevi omnibus fuit virtutum norma! Erat humilitatis ſpeculum, obedientiæ forma, orationis imago, manſuetudinis, patientiæque nitidiſſimum exemplar. Adeò ut Prior, tamquam perfectiorem religioſum Paphnutio patri deſtinarat (qui ob Euphroſinæ filiæ jacturam inconſolabilis effectus erat) à quo mirabiliter conſolatus diſcedebat, ipſaque incredibili fortitudine tempeſtates animi, ſui Patris, neſcii prorſus eventus, ſedabat. Sed invidebat Draco infernalis

fernalis tantò profectui, & rumpebatur ira, & jam noscens frustrà suas artes tentasse ad impediendum Smaragdi propositum, tandem ejus pulcbritudinem Fratrum oculis indesinenter, & versutè obiecit; Sed boc unum est adeptus, ut seorsim ab aliis una in cellula vitam ageret. Hoc in statu, sex lustra, & tres annos, exegit vitam potius Angelicam, quam mortalem aggressa. Jamque suæ finem vitæ adesse cernens, à Paphnutio Patre visitata, cui ante mortem, se esse suam filiam aperuit, & ob tantæ rei stuporem correpto; animam purissimam refertam innumerabilibus Charitum Cœlestium monilibus Sponso immaculato reddidit. Historiam notissimam elegis nostra sua libertate texit, nunc plorans, nunc in aulçis immorans, tantem Euphrosinæ morte, gratiosè expirat.

CARMEN XI.

Euphrosine, Charitum qua non est altera Cęlo
Blandior, æthereas linquere visa plagas
In me oculos conversa suos, conversa volatus,
Nectareo placidos sic dedit ore sonos.

Cur te vocales impellere pollice nervos
Non juvat ? atque tuam mutus es ante lyram ?
Illa ne Virgo mei ſpecioſi nominis hæres,
Illa ne Carmeli gloria tanta tui
Illaudata manet ? nec te ſua fama laceſſit ?
Eja age Pierium, fac modò ſurgat epos;
Scilicet, ut Charitum diis uberrima rivis
Illecebras Mundi vicerit, ipſa Charis
Hæc ait, & rapidis ſe librat in aera pennis
Cognita proceſſu, cognita voce Dea
Qualiter aerium ſpatiata columba per axem,
Plumigero liquidum verbere, radit iter;
At mea non ſuperi monitus mens torpida ad œſtrũ
Vocibus his raptum ſollicitavit ebur,
O' ſtupor EUPHROSYNE Naturæ, ô inclita noſtri
Lux montis, celebri, qui ſecat aſtra jugo,
Te modo Diva canam, noſcam licet omnia Phœbi
Carmina, ſint meritis inferiora tuis.
Credo equidem, nec vana fides, tibi munera Diam
Nominibus Charitem cuncta dediſſe ſuis.
Illa comis aurum, fronti dedit illa liguſtrum
Illa dedit niveis muricis oſtra genis.
Luminibus certare dedit, tua lumina Cœli
Æmulaque Elyſiis, labra rubere roſis.

Candor

Candor erat toto suffusus corpore, qualem
Idæo retinent, vix alabastra jugo.
Formosis adeò formosior ipsa puellis;
Quantò lucidior sidere, Luna micat:
Sed tibi Dia Charis, majus decus abdidit intus,
Grandior interno pectore fulgor erat.
Quam nivei mores! animo quàm lactea virtus!
Hæc erat intacta candidior glacie.
Quale fuit superi cœleste Cupidinis aurum!
Hæc erat æthereis eruta vena plagis.
Non pietate fuit, recti nec major amatrix;
Teque fide major nulla puella fuit
In te Mundani non ferbuit æquoris æstus,
Non tumuit placido tetra procella sinu;
Nam licet auriferos Patris arca foveret acervos,
Fulcieritque suas gemmea mensa dapes,
Matris, & Attalicas servarent atria gazas,
Quidque vehit rutila lydius amnis aqua;
Tù tamen Eoo Virgo non carperis auro,
Gemmifero potat non tua fonte sitis
Nec genus è claro tetigit te sanguine ductum;
Mille licet tulerint stemmata celsa lares.
Quid referam castum ingenium, moresque pudicos?
Fuerit ut immensus Virginitatis amor?

Non

Non ſi Caſtalides fundant mihi ſacra ſorores
Flumina, ſufficiam, mille vel ora dabunt;
Sed ſequar,& trepido ſpumantem pectore Phœbum
Te precor ingenuo Numine Diva juva:
Ah quoties patria Paphnutius arte jugales
Propoſuit thædas, & tibi faſſus ait!
O' gemitù deducta polo, quæſitaque votis
Euphroſine, hiſce oculis lux mage clara meis,
Vt quid amor, nullique animum flectunt Hymenei
Innumeris jam jam, nata petita procis?
Nubilis en ætas, florenti pubuit anno,
Te religet caſto fœdere ſacra Venus,
Si neſcis, Matri debes tu nata nepotes,
Et debes generum filia cara Patri
Hæc ille; At tu plus colubris exoſa maritos,
Inficeris roſeas ore tepente genas
Vnde gemens, Patrio ſiſtens ter pendula collo,
Da Genitor dicis Virginitate frui
Da præcor æternum nivei ſine funere floris
Cœlibe fœlices vivere luce dies;
Sed manet inflexus facie Paphnutius atra,
Et patrium duro cor adamante riget.
Non ſecus æquoreis rupes agitata procellis
Se ſe mole tenens murmura temnit aquæ

Sic

Sic precibus natæ, lacrymis ſic ille reſiſtit
Spernit & obſtructa Virginis aure ſonos;
Connubium mora nulla parat, dignumque puella
Deligit Auguſta nobilitate virum.
Quem phrygiis opibus ditem, roſeaque juventa
Fulgidum, Alexandri noverat Vrbe parem.
Tum plauſum reſonare fores, fremere omnia circum
Aſpicias, feſtos & geminare jocos
Structa domus Pariis decoratur fulta columnis
Pendent parietibus vellera texta tyro.
Argento radiant valvæ, laquearibus aureis
Mille repercuſſo lampades igne micant.
Lecta dies aderat, qua te dare fœdera lecto
Conjugis, impulerant verba verenda Patris.
Vulgus hymen, hymenee vocat, concentus ad aſtra
Tollitur, & ſparſis purpurat aula roſis.
Quid facis Euphroſine inter tot gaudia triſtis?
Diffluit ex oculis humida gutta ſuis.
Cœleſti temerare nefas data pignora Sponſo;
At Patris imperium nubere, nocte jubet.
Vndique curarum vario demergeris æſtu
Hinc Pater, hinc Numen mutua bella cient
Fortè fugam celebrare? fugæ non ulla poteſtas
Sindone detegeris culta puella tua.

Sed

Sed te Dia Charis tumidis non deserit undis,
    Illa docet sancta nectere fraude dolos
Illicò Sydonio saturatam murice pallam
    Exueris, nulla diffluit arte coma
Veste puellares artus abscondis, Ephebi,
    Molle sed & duro cingitur ense latus
Quale tegit nigra Fur sub velamenta pyropum,
    Cælet ut ardentes ignea gemma faces,
Sic sexum mentita, habitus induta viriles
    Patria nocturno sidere tecta fugis
Tunc reor astriferis Amor est illapsus ab oris,
    Et pepulit tenebras, & face stravit iter
Dius Eros sanctis discriminat arva favillis,
    Vt Mariæ tandem regna beata petas.
Mons erat ascensu sublimis, & undique tectus
    Ilice, non culto germine vernat ager
Hic devota Dei vivit gens sacra Parenti
    Queis ætate gravi legifer unus erat
Huic genibus supplex, lacrymis sis obvia natis;
    Mixtaque cum gemitu talia verba refers,
O' Pater ætherei, cui dat Regina Senatus
    Hæc regere imperio claustra dicata suo
Accipe mundanis vertentem terga periclis
    Me Pater oro tegat tegminis umbra tui

Ille

Ille ego ſum dederunt nomen, cui Fata Smaragdi,
Ad numeros doctus concinuiſſe chelys.
Ah pudet Auguſti laribus vixiſſe novennum,
Nunc juvat hoc ſanctos vivere monte dies
Aula vale: Domini me Regia tangit Olympi.
Dum Cœlum aſpicio, quã mihi ſordet humus!
Sic faris lacrimans, libas ſimul oſcula plantis,
Sed ſenior, grato ſic ait ore Pater.
Macte animo fili, pretioſum nomen adeptus,
Indue te viridi veſte Smaragde ſpei.
Si te nulla manet labentis gloria ſæcli,
Hoc hilari duces candida luſtra jugo.
Forſitan iſtâ tuo, quam præfers nomine gemma
Hærebit ſupero fulgida ſtella polo
Carmeli queat ut decorarier Æthra lapillis,
Carmeluſque poli ſidera, ferre queat
Dixerat: exutam ſpoliis Mundique lacerna,
Vellere te veſtit Virginis innocuo
Omnibus hinc latitans, ingreſſa mapalia querna,
Sidereos gaudes vivere luciferos
Soli nota Deo, ſtygioque inviſa Stratego,
Ardes ſanguineis membra domare flagris,
Tantus amor niveum cordi ſervare pudorem!
Implicuiſſe comis lilia tantus amor!

Intereà gemitus, fœdataque luctibus ora,
Quæ poterit miseri, vox memorare Patris?
Quis tibi tùm nata sensus Paphnutius orbo?
Quale fuit vulnus corde, parentis amor?
Solve precor triste elegèja solve capillos,
Nunc tibi cum lacrymis flebile nomen habe
Tempus erat primùm, quo lapsa crepuscula terris
Titanis funus, sideris ortus erat
Ducitur ad Sponsam, magnâ comitante caterva
Sponsus, purpureo cui nitet ore jubar
Tum vocat Euphrosinam læto Paphnutius ore
Sed jam cui reddat nomina, nulla venit
Ter vocat Euphrosinam, Natam ter fortius accit,
Ter sua responso vox repetita, vacat
Obstupuit tremefactus, & huc, nunc evolat illuc,
Non aditum linquit, non penetrale domus
Vt vacuos vidit dilecta prole penates:
Procidit ut trifido fulmine tactus, humi
Mox erectus ait: Natæ vestigia servi
Quærite per silvas, compita saxa, vada
Illius huc reduces properè deflectite gressus
Ni mea lux redeat, quid nisi vita cadet?
Per latebras famuli, septena per ostia Nili
Excurrunt, dumos, arva, fluenta petunt.

Nulla

Nulla tamen fugientis iter veſtigia monſtrant,
   Nulla ſui reditus nuncià fama venit.
Tunc Patris exoritnr clamor, fœdatque capillos
   Pulvere, per mœſtas imbre ruente genas.
Proſequitur luctuſque domi, fletuſque mariti
   Plorantis viduos anticipaſſe dies
Quacumque aſpicias, nihil eſt, niſi plangor, & horror:
   Fœminea reſonant pectora tunſa manu.
Hanc faciem (ſi magna licet componere parvis)
   Sub face grajugena Troja cremata tulit.
Tandem ubi per pluidos potuit Paphnutius hirquos
   Flebilibus verbis ſic patefecit iter.
J dolor in quæſtus, ite in ſuſpiria voces
   Atque oculi in lacrymas amnis ad inſtar eant.
Hanc precor aereas animam citò ferte per oras,
   Ferte precor, prolis quà vaga fata manent.
In gemitus utinam mergatur ſpiritus æſtu,
   Quem meus irrigua formet ocellus aqua.
Nata meus ſanguis, generis ſpes unica noſtri
   Filia viventis gratia Patris ubi es?
Nata brevis fructus largitum munus Olympo
   Filia defunctæ gloria Matris ubi es?
Siccine noſtra cadet non ullo fulta bacillo
   Heù nimium fato tardo ſenecta ſuo?

Ergo Ego non lacrymas prolis moriturus amatæ
    A'piciam, excisis ante cubile comis?
Sedula quæ cumulos fundat beneolentis amomi,
    Ossaque thuricremo condat odore Patris?
Spiritus infelix aliò peragrabit; at ungent
    Suppositas pheretro balsama nulla manus?
Crudeles Divi quando mihi dona dedistis,
    Quàm melius si tunc Nata negata foret:
Non mea nunc tanto quaterentur corda tumultu.
    Durius est habitis abstinuisse bonis.
Nunc rubet ingrata roseus mihi lampade Phœbus,
    Albet & ingrata candida luce soror.
O' ego ne tali torquerer saucius ictu
    Alpina mallem rupe rigere silex,
Esse vel Eoliis scopulus corrosus ab Austris,
    Quem rabidi mordens arietat unda maris.
Felicem Niobem, cujus lapidescere membra
    In toto passim corpore Fama tulit.
Tuque etiam fœlix post longum Arethusa dolorem,
    In vitreas placido murmure, curris aquas
Hei mihi perpetuum patior sine funere funus,
    Nec venit ad nostrum mors panacea malum.
Quò fugis Euprosyne nativo longior axe?
    Tecta paterna fugis? quæ tibi causa fugæ?

Culpa

Culpa fuit noſtris ; lumen te luminis eſſe ?
  Culpa fuit cordis teque cor eſſe mei ?
Forſitan exoſos piguit celebraſſe Hymeneos
  Auſa maritali demere colla jugo ?
Dic mihi quid juvit cumulaſſe altaria donis,
  Et precibus captum ſollicitaſſe polum
Ni fœtus Matrona dares ? ni baſia Patri
  Arreptis natus naribus eriperet ?
Ni decuiſſet Avum pullo luſiſſe nepote,
  Blæſaque cum puero verba tuliſſe ſenem ?
Quid queror infelix, auraſque polumque laceſſo ?
  Quis ſcit an ætherea filia luce cares ?
Quam timeo ! Tellus alit hæc genus omne ferarum
  Monte leo rugit, ſibilat anguis aqua,
Num tua montanus diſcerpſit membra moloſſus ?
  Num teneros artus dilaceravit aper ?
Cunctorũ timeo, nam quidquid ubique malorũ eſt.
  Anxius eſt magni cauſa doloris amor
Finge tibi placidos Cœlum largirier annos
  Quid mihi ? perpetuam te ſine vivo necem.
Ergo tu ſolùm noſtros miſerata dolores,
  Advenies Chloto de tribus una ſoror:
Rumpe precor trepida properum vertigine fuſum,
  Et me tu Natæ, reſtituaſque mihi.

Hæc Pater. At fletus non elicis imbre minori
 Sponse, manu fulvam dilaniante comam;
Nam gemis, ut socia viduatus conjuge turtur,
 Et tandem querulo sic feris astra sono
Nullus amor parvus, sed sponsi maximus ille est
 Hunc (ut vivat) amor ventilat, & face alit.
Vror ut imposito Cybeleja fomite pinus,
 Mollis ut ad Solis cera liquesco facem
Nec tot Amazoniis pendent intorta lacertis
 Tela, quot in lacero spicula corde gero.
Me miserum, quàm me torquet meus eminus ignis
 Eminus est ignis, cominus ardor est.
Non Ego Alexandri præclari nominis Vrbis
 Incoluisse polum, se sine sponsa reor.
Inter fœlices nuper tumefactus amantes,
 Siderei rebar limen habere Jovis;
At nunc sublimi videor dejectus Olympo,
 Inter Avernales semisepultus aquas
Hæc ne marita fides, conjunctaque dextera dextræ?
 Eheù, quid nupsi non comitante Deo?
Sed saltem scirem, queis nunc regionibus absis?
 Quæ te palantem barbara terra tenet?
Non me tardarent Scythiæ concreta pruinis
 Culmina, marmoreo semper adusta gelu,

Nec

Nec quæ Sole rubet nimium calefacta propinquo
  Ignea Niliaca tacta Syene Saba:
Quin tecum veniente die, fugiente, fugacis
  Conjugis, æternúm fidus Athleta forem.
Me modò viderunt Phario ſub regna Canopo,
  Cunctaque Lageo rura propinqua ſolo
Quà diverſa ruens, ſeptem ſpatiatur in ora
  Et celebri dives Nilus abundat aqua
Teſtis Halis, Peneuſque Celer, rapiduſque Caicus,
  Quæque rigat lento Bagrada fonte ſata
Reſtat ut Auſonias contingam puppibus oras,
  Heſperiumque petam per vada ſalſa fretum,
Aut ubi ſeptenis circumdata collibus Orbi,
  Imperat æternis, Romula terra lupis,
Aut ubi Partenope Siren craterida circum
  Elyſias vena divite vincit opes.
Ibo: Velifera findam mare puppe: ſecundo
  Omine per dubias me rege Dori vias
Si reducem patriis valeam te ſiſtere terris:
  Tu cedes navi, Navita Typhi meæ
Fauſtior Æſonide redeam, quem ſuſtulit Argo,
  Et mage Phrixeæ vellere dives ovis.
Felicem nimium quæ te mihi proferet Albam,
  Candidior cunctis exiet iſte dies.

Quid

Quid loquor ah demens? mea non incendia curat,
Nec capitur lacrymis ſurda puella meis
Non te Ego Alexandri, natam reor Vrbe; ſed ortum
Seù dedit Hercinius, ſeù Arimaſpus apex
In quo brumali Boréas immurmurat ala,
Et manet æterna nix glomerata mora
Fallor: Te rabidi pepererunt æquora ponti
Te ſcopuli, & Glauci progenuere feræ,
Et tua ſunt Chalybis circum præcordia rivi
Et niveo turget pectore dura ſilex.
Attamen ipſa diù feralior eſſe nequibis;
Quam citò connubii, mors mea pignus erit.
Dum loquor, hæc ſtrictũ mea dextera cõtinet enſem
Jam lacrymis atrum, moxque cruore rubrum
Dii faciant, quæ ſit lugentis imago videres,
Flexiſſet pectus, mœſta figura tuum,
Nec mea ſunt primùm, nunc ſaucia cuſpide corda
Vulnera jam pridem corpore fecit Amor
Vix ea protulerat: ſubitus tremor occupat artus,
Immenſuſque vetat dicere plura, dolor
Tù tamen Euphroſine curis, procul iſſe prophanis
In rigido gaudes penè ſepulta ſpecu.
Te ſuper elucet fulgentior alter Horizon,
Sidereoſque ſtudet, mens peragrare lares

Nam

Nam licet obiiciat sponsi, luctumque Parentis
Vipera Cociti, nectere prompta dolos;
Tu Phlegetonte satam, tu Tartara sibila spernis,
Aucupium infelix noscis & esse Stygis.
Non secus æquoreas expertus, ter, quater iras
Ad portum flexit Navita puppis iter:
Non iterum tumidis committit fluctibus alnum,
Insano fugiens credere vela mari.
Talis Virgo procellosos superata furores
Exhorret sæcli sollicitare fretum:
Vsque adeò Divina Charis radice profunda
Menti hæsit, superus pectori & hæsit amor;
Sæpius, ut Patris lacrymas vidisse cadentes
Fas fuerit, querulo nec doluisse sono.
Ille quidem Fratri referat sua Fata Smaragdo;
Dum nescit Natam veste latere viri,
Et quoties Prolis genitor pendebat ab ore,
Tunc tua solamen verba fuere malis:
Donec venturo te Diva accinxeris ævo
Sat matura Deo, debita satque polo;
Tum Patri sexum, tum nomina ficta revelas,
Nec retices captam Virginitate fugam.
Post hæc sacrata Fratrúm stipata corona
Suspiciens Cœlum, Cœlica regna petis.

Sed Patris & Fratrum fletus silvisse Camenas
Præcipit; en fontes denegat Ascra suos.

ARGUMENTUM,
ET EPITOME
VITÆ S. CYRILLI
EPISCOPI ALEXANDRINI.

CYrillus Alexandrini gregis sacer Pastor, totiusque Ecclesiæ Doctor egregius, nobilissimo genere est ortus. Imberbis adhuc à Theophilo patruo Episcopo Alexandrino, studiorum gratia missus est Athenas, scientiarum omnium, omniumque artium magistras, & inventrices teste Tullio. Cum multum, ibi profecisset, & ingenij, & doctrinæ laude super alios emineret, ad Joannem.

Soli-

Solimorum Antistitem perrexit, ut sicut doctrina cæteros anteiret, ita vitæ sanctitate sub tanto Magistro nulli cederet. Ejus familiaribus colloquiis adhortatus, ut Carmelum ascenderet, & Libanum, aliaque proxima pia loca inviseret, executioni mandavit consilium, & cœlestia illa Tempe, hesperiosque illos Divini Numinis hortos intuitus est. Captus est illicò eorum amore; quandoquidem, cum aliquot illius vitæ eremiticæ beatis incolis, humanam nequaquam, sed cœlestem vitam protraxit. Verùm urgente necessitate patriam reversus, defunctoq; Theophilo ejus patruo, illi in dignitate Episcopali successit, inque ejus vicem, omnium plausu suffectus est. Electus Antistes, toto conatu, totis viribus ad gregem mundandum insudavit, & ne morbida pecus totum corrumperet ovile, Judæos aliquos, tunc Alexandriæ immorantes, deterrimis moribus obnoxios, expulit ejecit, ipsosque fugientes impigrè est insectatus. Quàpropter à Cœlestino Primo Summo Pontifice, primarius selectus est legatus in Concilio Ephesino, in quo Cyrillus siderea sapientia, nec humana eloquentia, tartareum illud probrum, & ex infernali lacu emersum dogma delevit: Beatissimam scilicet

 licet

licet Mariam, Dei Matrem non debere vocari! Arrisit taliter Deiparæ auspicium suo Propugnatori, ut penitus Cimmeriis cavernis, à quibus blasphœmia illa prodierat tumulata sit. Ex hac victoria Carmelitici Herois; indè Carmelitarum ordo, amatissimum nomen liberorum Diviparæ Virginis de Monte Carmelo est adeptus. Et quamvis infernalis coluber, antiquus hostis Beatissimæ Mariæ, innumeras adversus Cyrillum excitarit persecutiones; attamen Dei genitricis favore fretus, de cunctis furente Dœmone triumphum nobilissimam reportavit. Libros sanctitate, & doctrina refertos exaravit, illosque præsertim totus orbis præconiis extulit, qui Nestoriam hæresim profligarunt. Sic senio confectus ad Dominum migravit, inter ulnas Mariæ Virginis, cujus laudes in ore, in calamo, in omnibus ævi operibus semper prætulit. In hoc carmine illud præcipuum pertingitur encomium, palma videlicet de Nestoriana hæresi obtenta, ob quam in laudes Beatissimæ Virginis nostra Camena rapitur, præsertim in id, quod Sancta Ecclesia Beatæ Virgini aptat Eccles. 24. quod paraphrastico penè more accomodat.

CARMEN XII.

VIrgo parens duodena comas, cui ſidera comũt,
Et tegit aurato ſyrmate, Luna pedes
Pande, triumphales, Carmeli prolis honores,
Quà, meruit nati nomen habere tui.
Te ſine non altum mens incipit: Ipſaque palmas
Si dederis quondam, nunc memoraſſe juva.
Te Duce Diviparæ Cyrillus protulit olim
Stemmata. Te Dias auſpice pandit opes;
Nos etiam deceat, duce te ceciniſſe trophæa
Vtrius, ut gemina Styx furat acta face.
Tempore quo juvenis Theodoſius Vrbis Eoæ
Imperio præerat, quæ caput orbis erat
Neſtorius vixit, quantum diverſus ab illo
Neſtore, cui fandi mellea vena fuit.
Huic reor Eumenides, merſere paluſtribus undis
Os: ubi natalem, lux ſibi prima dedit,
Roravit fauces Erebeus felle Ceraſtes,
Vnxit Cerbereo guttura lacte Charon,
Quàm fremit in ſuperos! furit! evomit ore venenũ!
In Cœli faciem verba canina latrat!
Non magis in Lybia Dypſas ſtimulata flagello
Deſpumat rabido toxica ſæva labro,

Vt

Vt vomit hic virus, furiis agitatus Averni,
  Vt ſtygio puros inficit amne polos
Adſtruit, ut ſuperi Regina beata Senatus,
  Non ſit Divini Numinis alma parens.
Non equidem Mariam tanto dignatur honore,
  Chriſtiparæ tantùm nomen ineſſe docet
Sic ait: hiſque hominum replet clangoribus aures,
  Infectas acies ad ſua ſigna vocat.
Accurrunt iſtæ, armis auxiliaria junguut
  Arma, venenata ſpicula morte parant:
Non ſecus expenſis crocitans exercitus alis,
  Vere novo remeant ad nova, caſtra grues;
At contrà hos, ſurgit Carmeli gloria montis
  Cyrillus, ſtygium ſic ferit ore gregem.
Deſine Tartareis convicia ſpargere rhombis,
  Indita lethæo gens ſine mente choro;
Nam miror, quod adhuc non æthere fulmen adactū
  Exiliit? nec adhuc flamma triſulca ruit?
Cur Pater omnipoiens terris hæc agmina ſervas,
  Deſtruit inde tuos fana ſacrata lares?
Dicite: Cur Divi decus immortale Parentis
  Dedecet hoc Mariam? nomen & iſtud abeſt?
De MARIA, æternum canit hoc Sapientia carmen
  (Audite & memori condite mente melos)

Qualis

Qualis odorifero Libani de vertice ſurgit
CEDRVS, & aerias tollit ad aſtra comas,
Cœtera cui famulas ſubſternunt arbuta frondes,
Canaque perpetuo ſtipite ſæcla notat;
Sic non caſuros præfert ſua gloria faſtus,
Sic odor & celſæ ſtat ſibi molis honor.
Quanta Sionæo conſurgit colle CVPRESSVS,
Cujus ſæpè poli ſidera lambit apex
Silvarum decus, & nemoroſi pyramis orbis,
Seſeque in pugnas turbinat Eolias;
Non tamen inſanæ cedit curvata procellæ;
Quin ſpernit rabidi murmura rauca Noti,
Tanta ſuam Virgo procéra fronte figuram
Erigit, & ſtygias deſpicit alta minas,
Qualis Amorrhei deſerta per avia Cœli
Culmina ſint Hermon, tubera ſintue Cades
PALMA triumphales expandit ad æthera crines
Grataque rugoſo cortice poma fovet;
Sic Jeſſea Parens fulvam ſuper explicat aſtra
Cæſariem, fructum ſic parit, auget, alit.
Vt ROSA quam Cypri non progenuere vireta,
Sed peperit pungens è Hiericunthe frutex,
Regina incedit chlamydis regalis in oſtro
Florum, Vertumni gloria, veris honor

Virgi-

Virgineum trahit ex haſtatis ſentibus ortum,
Proximaque Empyreo replet odore ſata;
Non aliter Mariæ ſpecies, venerandaque forma
Purpurat, enſiferi ſepta virore rubi;
Sic & odoriferis mulcet ſuffitibus auras,
Cum reſerat pratis germina, prima dies
Tollitur ut campis, frondoſo tecta galero
Omen pacati, quæ dat OLIVA Dei,
Quam teneræ ſobolis ſtipata corolla retexit,
Ex imo ſurgens ambitioſa pede;
Tum mater placida natis ſuper imminet umbra,
Creſcat ut in robur fuſa propago novum,
Scilicet in liquidum Pallas mox flaveat aurum,
Fluctuet & plenis preſſa Minerva cadis:
Talis adeſt Mariæ decor, eſt ea cura recentis
Prolis, hic in tenero pectore Matris amor:
Qualis baccifero PLATANVS redimita corimbo,
Progenita ad ripas exilientis aquæ
Gliſcit in immanem truncum, complectitur ulnis
Aera ramiferis, infima cuncta tegit;
Tum ſtupet attonitus frondoſa mapalia Phœbus,
Nec penetrat radiis tegmina Luna ſoror
Dumque faces terris ructat Nemeæus hiatus
Siccaque flammifero ſidere Zona rubet:

Tem-

Temperat Icarios ſua fertilis umbra calores,
Mollit & æſtivum frondea Gaza Canem.
Sic Virgo, prolem Cypriis ex ignibus arcet,
Sic ſua mundanos mitigat aura focos.
Qualiter halanti verrit ſata culta flabello
CINNAMVM, Achæmenii meſſis odora poli,
Sivè per Eoos ſudent OPOBALSAMA ramos,
Ambroſiaſque vomant vulnus adacta fibras:
Sivè ubi non lacero liqueſcit caudice MYRRHA,
Inſcia quæ ferri ſolvitur in lacrymas,
Expiratque levem ſalientis aromathis hauſtum,
Dum circumfuſas mulcet odore plagas:
Sic terras, tractuſque maris, Cœlumque profundum
Spontè vaporato flamine Virgo beat.
Quid referam quantis MARIA eſt expreſſa figuris?
Sæpius ut tantam protulit umbra pharon?
Nonne typus Divæ fulſit laudata Noemi
ARCA fluentiſonis expatiata vadis?
Lamechidis manibus, centum fabricata per annos,
Æquoreæ moles hæc ratis inſtar erat,
Quam non centeno comebant remige tranſtra,
Sed nec erat, ponti prora ſecanda fretum.
Haud temo, pictàque ſedens è Navita puppe,
Quæ regat ad dubias ſuppara tenſa vias

Ipse Deus, mediis tutari fluctibus arcam,
Providet, iratis ipse Magister aquis
Heù hominis speciem, pecudis, genus omne volantis
Angusto servat concava trabs gremio!
Aspicis, immanes ut Numinis ira Gygantes,
Ultura Eolia devocet arce Notum!
Evolat hic jussis, tectus caligine vultum,
Nubila frons, canis defluit unda comis,
Mento barba madet, rorant aspergine plumæ,
Expuit undantes alvus aquosa lacus;
Vtque Dei imperium sentit, mortale sub undis
Velle necare genus, cuncta fluenta vomit.
Tum ruit in pluvias Cœlum, cadit imbribus æther,
Et conjurata nocte, procella furit,
Ipsa etiam latices, potat Thaumantias Iris,
Nubibus immensas ut paret inde dapes;
Aspicis ut Cœlum juvat auxiliaribus undis
Neptunus? fluvios sic ciet ille suos
Ite: Deus jussit, totum lentate luparum
Gurgitibus vestris, Mergere tempus adest.
Nunc opus est haurire solum, nunc perdere gentes,
Extinguat Cyprias, amnis & unda faces.
Hæc ubi dicta dedit, terram (mora nulla) tridente
Concutit, illa mari mox patefecit iter.

Heù

Heù, jam vorticibus patulos reclusit hiatus,
Et gremio totum cœpit aperta salum!
Nil est, quod terram, nil quod discriminat æquor:
Omnia Tethys habet, littora sola vacant.
Scilicet herbigeros, ubi Caprea tondit agellos,
Illic immanis corpora Phoca locat.
Nereides, sub aqua, silvas mirantur, & Vrbes,
Nat lupus inter oves, & vehit unda tygres,
Vsque adeò insanos exercet ad æthera fluctus
Oceanus; superas retur ut isse plagas.
O' ubi sunt Alpes? ubi sunt juga celsa Pyrenes?
Qua latuit Rhodopes valle, nivale caput?
Aut ubi nunc Pindi vertex, ubi tergora Tauri?
Non Riphæa patent culmina? fugit Athos?
En natat, æthereis nuper qui proximus astris
Caucasus exiliit: nat mare mersus Atlas,
Nec Lunæ montes, famosa cacumina dudum
Apparent medio tubera parva salo.
Has inter strages, fluctu volat altior omni,
Nec timet æquoreas Arca dolata minas.
Sensit honorati fœlicia pondera ligni
Nereus, & placida robora lambit aqua,
Gaudet adoratis defigere basia tignis:
Ceù Dominæ subdit cœrula colla rati.

Nam Divina Charis fulcantia roſtra coronat;
Ipſe mari ſervat pinea texta Deus
Aligeri lauro redimunt, palmiſque carinam,
Ingeminant Pæan, Palma; Triumphus, Io:
Hac voluit Numen MARIAM mõſtrare ſub umbra,
Hac decuit Matris ſignificare decus;
Scilicet ut merſi foret hæc ſpes unica Mundi,
Sola foret terræ Virgo, futura ſalus.
Par fuit & MARIÆ typus, altera fœderis ARCA,
O' quam Diviparæ nobile ſchema ſtetit!
Arca vetus compacta cedro, baſe ſurgit ab aurea,
Aurea pavimenti non ſecus ima micant.
Eminet aurifero ſpecies externa metallo,
Fulgurat auratum, quod fovet intus opus,
Vndique nigrantes auri fax, effugat umbras,
Omnis & aurata bractea luce viget.
Hæc eſt, quæ populum, quaſi prævia ſtella vagantem
Ad Solimos duxit Numine fœta lares,
Hæc eadem, celſæ conſedit in arce Sionis,
Quà Salomonæi prodiit ara ſacri;
Prætereà varios pro gente repaſſa labores,
Plurima non patrio ſub Jove, fata tulit:
Aſpicis ut Cherubim verſis ſe vultibus inter
Remigio alarum cedrina tigna tegant?

Inſtar

Inſtar adorantis, pronus manet, alter, & alter;
Prominet hinc geminum, prominet inde latus.
Subtus magna Dei tegitur cortina ſedentis,
Quidve velit, claro pandit ab ore Monas.
Dedecet ambigui tripodis, laqueata loquela
Numen, & hoc falli, fallere ſive nefas;
Aſt intus quas condit opes? quæ munera ſervat?
Lex vetus, & Mannæ melleus imber ibi eſt.
Cœpit eam quondam geminato marmore Moſes,
Tranſactus Sinai fulgura crebra jugi.
Hunc Eoos cum præcederet hora jugales;
Conderet ut lectum juſſerat arca Sator
Hic Aarónea clauduntur ſtemmata virgæ,
Aſpicis ut natis rideat illa comis!
Quam juxtà vindex copulatur pondus acerræ,
Quæ Core indignos perdidit igne choros.
Sic fuit alma Parens, quæ cedrina, & aurea nullam
Protulit aut labem, ſuſtulit aut cariem
Sic Patris æterni Prolem, cœleſte mel, alvo
Concluſit, Jeſſe germina, legis herum.
Adde rubum Moſis, Gedeonis vellus, amictum
Fœmineum Solis, ſena bis aſtra, thronum,
Horti delicias concluſi, lumina Phœbes,
Convallis florem, ſidereumque polum:

Omnia

Nam Divina Charis fulcantia roſtra coronat;
    Ipſe mari ſervat pinea texta Deus
Aligeri lauro redimunt, palmiſque carinam,
    Ingeminant Pæan, Palma; Triumphus, Io:
Hac voluit Numen MARIAM mõſtrare ſub umbra,
    Hac decuit Matris ſignificare decus;
Scilicet ut merſi foret hæc ſpes unica Mundi,
    Sola foret terræ Virgo, futura ſalus.
Par fuit & MARIÆ typus, altera fœderis ARCA,
    O' quam Diviparæ nobile ſchema ſtetit!
Arca vetus compacta cedro, baſe ſurgit ab aurea,
    Aurea pavimenti non ſecus ima micant.
Eminet aurifero ſpecies externa metallo,
    Fulgurat auratum, quod fovet intus opus,
Vndique nigrantes auri fax, effugat umbras,
    Omnis & aurata bractea luce viget.
Hæc eſt, quæ populum, quaſi prævia ſtella vagantem
    Ad Solimos duxit Numine fœta lares,
Hæc eadem, celſæ conſedit in arce Sionis,
    Quà Salomonæi prodiit ara ſacri;
Prætereà varios pro gente repaſſa labores,
    Plurima non patrio ſub Jove, fata tulit:
Aſpicis ut Cherubim verſis ſe vultibus inter
    Remigio alarum cedrina tigna tegant?

Inſtar

Inſtar adorantis, pronus manet, alter, & alter;
Prominet hinc geminum, prominet inde latus.
Subtus magna Dei tegitur cortina ſedentis,
Quidve velit, claro pandit ab ore Monas.
Dedecet ambigui tripodis, laqueata loquela
Numen, & hoc falli, fallere ſive nefas;
Aſt intus quas condit opes? quæ munera ſervat?
Lex vetus, & Mannæ melleus imber ibi eſt.
Cœpit eam quondam geminato marmore Moſes,
Tranſactus Sinai fulgura crebra jugi.
Hunc Eoos cum præcederet hora jugales,
Conderet ut lectum juſſerat arca Sator
Hic Aarónea clauduntur ſtemmata virgæ,
Aſpicis ut natis rideat illa comis!
Quam juxtà vindex copulatur pondus acerræ,
Quæ Gore indignos perdidit igne choros.
Sic fuit alma Parens, quæ cedrina, & aurea nullam
Protulit aut labem, ſuſtulit aut cariem
Sic Patris æterni Prolem, cœleſte mel, alvo
Concluſit, Jeſſe germina, legis herum.
Adde rubum Moſis, Gedeonis vellus, amictum
Fœmineum Solis, ſena bis aſtra, thronum,
Horti delicias concluſi, lumina Phœbes,
Convallis florem, ſidereumque polum:

Omnia

Omnia Diviparæ præsagia nota fuisse,
Hisque suum nebulis sub latitasse jubar;
Sed citius recolam, quot Doris glauca profundi
Servet Atlantiaci gemmea dona sinu,
Aut quantis Japigis canescat fluctibus æquor,
Cum niger Hadriacas concitat Auster aquas,
Quam potero Isacidum numerare oracula Patrum,
Carmine Virgineum vaticinata decus.
Tu modò sidereum Gabriel testeris honorem,
Æterni supera missus ab arce Patris.
Ver erat, & fuso viridabant prata smaragdo,
Ridebant mixtis lilia nata rosis
Cum Zephyros, aurasque leves prætervolat Ales
Nuncius, ut magni jussa Tonantis agat.
Ibat plumigeris Juvenum pulcherrimus armis,
Augustus nitido splendet in ore decor
Dulce oculi rident, roseis stat gratia labris,
Astriferam vibrat lampada, frontis apex
Lacte genæ rutilant, mixto pinguntur & ostro,
Lambunt auratæ candida colla comæ.
Sic Regina micat stellarum argentea Phœbe
Si plena, in tremulas, lumina vibrat aquas.
Vt nebulas scidit, ventis per inane coactis,
Jordanis propter flumina, sistit iter

Naza-

Nazareth, hic Virgo colit ędes, paupere cultu:
Digna tamen Divùm fulgere concilio.
Hanc adit Alipotens, fandi cui aurea vena,
Moxque prior, melica talia voce refert
Salve lux oculis, Virgo clariſſima noſtris,
Ætheris ardentis jam diuturnus amor,
Cui ſine menſura, fudit Sator ipſe Deorum
Divitias Superùm, cunctaque dona dedit.
Quidquid ab Empyreis defert Sapientia regnis,
Quidquid ab æterna mente fluitque Patris,
Largita eſt plenis uberrima gratia rivis;
Inque tuo ſidit pectore dia Charis
Auguror: obſtructi limen reſerabis Olympi,
Poſthàc æratas deſeret ille feras.
Nempe vigor, vigor ille Patris, Verbum, Deus ipſe
In tua deſcendet viſcera plaſtus homo.
At tibi Virgineum miranti gliſcere ventrem,
Non inopinati damna pudoris erunt.
Nam ſacer æthereis delabens Spiritus oris,
Efficiet gravidos intumuiſſe ſinus,
Ille quidem Dia faciet te prole parentem,
Reddet & illæſæ vota pudicitiæ,
O' quam magna tui cernes augmenta per orbem
Unigenæ! Proavos, & ſuperabit Avos,

Quam

Quam latum imperium! Supra Garamântes & Indos
Proferet! ultrà anni, compita, Solis iter,
Terminus haud sceptro! non ullis margo triumphis!
Non regno finis! non ditione modus!
Illius adventum, jam Tartarus expavet orbis
Horrescit Phlegeton, Dys sine Sole timet.
Quippè litaturus templis, non monstra Sacerdos
Pacabit, vero surget at ara Deo.
Hæc Mariæ fatus Gabriel, mora nulla, per auras
Alternans humeros, sidera nota petit.
Venere: Deus patriis illapsus ab astris,
Se gremio fudit Virginis, actus homo
Inde hominum fœlix genus è terrestribus hortis
Expulsus; superos est potis ire thronos
Ah dubitatis adhuc Paránynfi fidere verbis?
Angelico miseri vivit an ore dolus?
Ergo Cimmeriis æternûm perfidus error
Procumbat latebris: hæc sibi digna domus
Nam merito Stygiis, fas est tumularier umbris,
Diviparæ juvit si minuisse jubar.
Sed nos fœmineo clamemus ad astra profatu
In medio mulier, quo fuit usa die,
O' nimium fœlix, nimiumque beatior alvus
Auctorem potuit, quæ peperisse suum

Ubera

Ubera proh quantum cœlesti prædita sorte!
    Nata Creatorem pascere lacte Deum.
Nunc sileat, phrygias quidquid turrita per Urbes
    Egerit Idæo, vecta leone parens.
Natorum stipata choris, complexa nepotes
    Centum, Semideûm, prole beata virûm.
Fabula vana quidem; sed te comitatur ovantem,
    Non figmentitii regia plena Jovis
Ob Monadem niveo fusum de ventre puellum,
    Omnia cui laudes sidera Eoa dicant.
Tu modò, cui animum fas est lapidescere durum,
    Nec fera virgineus pectora flectit amor
Perfida turba, lues stultæ perjuria linguæ,
    Sera licet plumbi te pede pœna manet
Audistin trepido Cœlum mugire boatu?
    Fulguraque æthereis desiliisse plagis?
Non Hyades semper faciunt, nec aquosus Orion,
    Nec semper frustrà fulminis ira ruit.
Blasphœmum quandoque solet punire labellum;
    In Superos tum cum verba scelesta spuit,
Scilicet est armis (si nescis) Virgo referta,
    Hæc & bellatrix prælia Diva movet.
Vox sacra conclamat; Castrorum more phalangis,
    Hanc equitum stipant, hanc peditumque manus

Z   Queis

Quam latum imperium! Supra Garamãtes & Indos
    Proferet! ultrà anni, compita, Solis iter,
Terminus haud ſceptro! non ullis margo triumphis!
    Non regno finis! non ditione modus!
Illius adventum, jam Tartarus expavet orbis
    Horreſcit Phlegeton, Dys ſine Sole timet.
Quippè litaturus templis, non monſtra Sacerdos
    Pacabit, vero ſurget at ara Deo.
Hæc Mariæ fatus Gabriel, mora nulla, per auras
    Alternans humeros, ſidera nota petit.
Venere: Deus patriis illapſus ab aſtris,
    Se gremio fudit Virginis, actus homo
Inde hominum fœlix genus è terreſtribus hortis
    Expulſus; ſuperos eſt potis ire thronos
Ah dubitatis adhuc Paranynfi fidere verbis?
    Angelico miſeri vivit an ore dolus?
Ergo Cimmeriis æternûm perfidus error
    Procumbat latebris: hæc ſibi digna domus
Nam merito Stygiis, fas eſt tumularier umbris,
    Diviparæ juvit ſi minuiſſe jubar.
Sed nos fœmineo clamemus ad aſtra profatu
    In medio mulier, quo fuit uſa die,
O' nimium fœlix, nimiumque beatior alvus
    Auctorem potuit, quæ peperiſſe ſuum

Ubera

Ubera proh quantum cœlesti prædita sorte!
Nata Creatorem pascere lacte Deum.
Nunc sileat, phrygias quidquid turrita per Urbes
Egerit Idæo, vecta leone parens.
Natorum stipata choris, complexa nepotes
Centum, Semideûm, prole beata virûm.
Fabula vana quidem; sed te comitatur ovantem,
Non figmentitii regia plena Jovis
Ob Monadem niveo fusum de ventre puellum,
Omnia cui laudes sidera Eoa dicant.
Tu modò, cui animum fas est lapidescere durum,
Nec fera virgineus pectora flectit amor
Perfida turba, lues stultæ perjuria linguæ,
Sera licet plumbi te pede pœna manet
Audistin trepido Cœlum mugire boatu?
Fulguraque æthereis desiliisse plagis?
Non Hyades semper faciunt, nec aquosus Orion,
Nec semper frustrà fulminis ira ruit.
Blasphœmum quandoque solet punire labellum;
In Superos tum cum verba scelesta spuit,
Scilicet est armis (si nescis) Virgo referta,
Hæc & bellatrix prælia Diva movet.
Vox sacra conclamat; Castrorum more phalangis,
Hanc equitum stipant, hanc peditumque manus

Queis vallata, prior scit rumpere robur Averni,
Tartareique lares prostituisse Ducis;
Tum Phlegetontei quos isse in fœdera Monstri
Juvit, terribili perdere Marte solet.
Destinat hos flammis, aliosque sub æquore mergit,
Illos, ut subtus mota dehiscat humus;
Non ut Oilidinen Graii finxere Poetæ
Vlta fuit Virgo, Bellipotensque Dea
Illicò flammivomum, quæ jecit ab æthere fulmen,
Neleidæque celér fata suprema tulit;
Sed trahere ante moras, largiri tempora gaudet
Quà sapiant, probri pœnituisse sui;
Tunc veniæ si nulla manet spes certa merendæ
Evaginato percutit ense reos,
Ergo si vester riguit Pharaónidis instar
Spiritus, aut retegit perfida corda chalybs
Quam propè fata ruent! extremam quærere pestem
Quid juvat insanos? Quid properare necem?
Tu princeps Nestor, Nemesis figéris ab hasta:
Vulnifica quandò viscera tabe fluent.
Intereà tellus segetes tibi deneget, undas
Flumen, & afflatus arceat aura suas.
Non tibi Mygdonio surget Sol aureus ortu,
Nec tibi splendentes Cinthia vectet equos.

Vtraque

Vtraque luce tibi careat, minor, Vrſaque major,
Omnia ſint oculis ſidera furva tuis.
Se tibi non aer, tibi ſe nec præbeat ignis,
Non tibi det Nereus, non tibi terra vias
Spiritus infœlix, Erebæis erret in umbris,
Nec tibi funereus concelebretur honos,
Utque cades dejectus humi Libitinidos arcu
(Nam tibi ſæcla nefas Neſtoris alterius)
Sidereos reſeret Petrus non æthere poſtes,
Claudere cui Cœlum, cui reſerare datum:
Enſifer ille comes ſtygios te trudat ad amnes,
Vt ſis inferno victima jacta rogo.
Dii precor eveniant (ſi Divûm munere fungor)
Non adſint vocis vota caduca meæ
Dixerat, & ſeptem reſonarunt culmina Romæ,
Hæres Tarpeja plauſit ab arce Petri,
Audiit, & tonuit feſtivo munere Cœlum
Cyrilli volvit pondus ineſſe ſono
Plus aliis Carmelus ovat, Libanuſque ſuperbas
Mille fovet palmas, ſtemmata mille parit
Circinet ut prolem: Exin Carmelita propago
Natorum Mariæ nomen adepta fuit.
Quò, quò mens ageris? quis te furor entheus urget?
Parvula non magno ſiſte carina vado.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. ANASTASII MARTYRIS.

ANastasius Persa, suo ætatis flore militiæ animum applicuit, & in nonnullis bellicis expeditionibus sequutus est Coshroam Persarum Regem. Tempestate illa immorabatur Perside Crux Dominica, innumerisque fulgurabat portentis. Volens curiosus Miles mysterium noscere, à quodam argentario Persa illi reseratum fuit, dictumque in ea Dei filium pependisse. Hoc illi tantum in corde fidei Christianæ incendit ardorem, ut bello, armisque valedicere statuerit. Itaque cum à victoribus Heraclii Augusti labaris tunc devicti fuissent Persæ, cingulum militarem abie-

cit,

cit, bellicos animos depoſuit, & Salvatoris fidem eſt amplexus. Ab Elia præsbitero in Chriſtiana fide inſtructus, non multo poſt à Modeſto Solimorum Hierarcha, ſacro fonte lotus, baptiſmi undis Adæ maculas immerſit, novamque Creaturam, melioremque militem ſe Deo exhibuit. Ibidem tranſactis octoginta diebus, Monaſticam veſtem aſſumpſit, & in Eremitarum ædibus ſeptem annos exegit. Noſcens deinde titillante Divino Spiritu, ſe Martyrem nimiumque odoriferam victimam futurum, prævia Superiorum venia, Sanctorum aliquot locorum peregrinationem ſuſcepit. Ergo poſt Dieſpolis, Carizis, aliarumque Vrbium viſitationem, Cæſaream appulit, & in templis Deiparæ, Sanctæque Euphemiæ dicatis quatriduò eſt immoratus. Attulit intereà fortuitus quò ad nos caſus, at ab æterno Divina diſpenſatione diſpoſitus, Perſarum Magos exitioſis veneficiis, ſollicitos, implicitoſque vidiſſe, nec non fœminas præſtigiis, Dæmonumque adorationibus mancipatas: jamque puerum è Matris uberibus raptum tenebrarum Regi ſacrificabant; quod nefarium holocauſtum, intrepidus objurgans Anaſtaſius, & zelò Chriſtianæ fidei acerrimè increpans,

pans,

pans, ab illo infami conciliabulo deprehensus est, & ob vindictam triduò inedia afflictus. Variè insuper ejus constantia explorata, demum è Marzabana Prætoris Duce, ad Cosbroam Regem defertur. Illic innumeris, exquisitissimisque tormentis lancinatus, invictissimi Christiani militis, se præbuit exemplar, & incomparabilis roboris specimen dedit, adeò ut decollatus, tandem æternam sit adeptus beatitudinem. In hac verò elegia, super magicis veneficiis fertur Apollo: quippè opus erat demonstrare originem; unde Divus Anastasius adeò genuinus elucescat adversus incantationes Patronus. Nocuit profectò sibi ipsi Infernus, propriisque telis passus est vulnera: Quandoquidem cum à Maleficis Magis, ob nostræ fidei honorem eam mortem, & tantos fuerit passus cruciatus; ex hac causa à Divina Sapientia actum est, eum fore formidabilem Dœmonibus, eorumque Ministris, hocque tanta virtute, ut in eorum malis artibus, & famosis præstigiis, ad Anastasii nomen cuncta veneficia vanescant, ac ejus audito sonitu stygii Dracones confundantur, & extemplo terga vertant.

CAR-

CARMEN XIII.

SEmideum si fortè virum Plutona fugantem
Calcantem valido Tartara sceptra pede
Audisti: cui nigradomus cessisse triumphos
Suevit, & inferni terga dedere Duces!
Linque supercilium. Carmeli nobile germen
Fertur Anastasides, monstra domasse Pater.
Hic est Martyr ovans, & gloria Persidos axis,
Sanguinis, & vitæ prodigus usque suæ.
Nunc Ego Musa canam, primas ab origine causas
Cur dedit Omnipotens, huic superasse Stygem?
Adsis Pieria modulor dum carmen avena,
Et mea Castalio prolue labra lacu
Tempestate illa, qua Coshroa cesserat armis,
Alitis expertus rostra cruenta Jovis
Miles Anastastides persa sub Principe nuper,
Liquerat Arsacidum sistra, tubasque sequi
Quippè triumphalem gladiũ quo mortua mors est,
Arserat accenso visere corde Crucem:
Audierat querno suspensum robore Numen,
Sidereis passum spinea serta comis:
Illa mortalem fudisse sub arbore vitam,
Sic se se æthereo, sacrificasse Patri.

Tùm

Tùm lacrymis madidus, validoque crematus amore
Bella valete inquit, prælia nulla petam.
Posthàc non femori placeat suspendere ferrum
Haud tanget nostrum Cressa pharetra latus
Brachia lunato jacient, nec spicula cornu.
Sint clypeus, thorax, hasta, sarissa, procul.
Sat Marti, Mortique datum, lituosque, sonosque
Eoliis tradam per mare ferre Notis.
Quid mihi cum ferro? non hos jam tempus in usus
Evolet, in mores me decet ire novos
Auspicio meliore, alio sub Principe Christo,
Altera castra legam, miles & alter ero.
Dixerat, & patriis Heros egressus ab oris
Ad Solimam, cursu præpete tendit iter.
Suffusum tyrio deponit murice peplum,
Quæque rigent auro firmata texta, rapit
Pauperis, instar amat villosam ferre lacernam,
Et religant costas stupea lora suas
Nudatis graditur talis; caligasque repellit,
Sic terras animo, sic pede calcat humum
Intereà sospes Galilæas venit ad oras,
Vnde Palestinos est veneratus agros
Culmina conspexit quondam florentis Idumes.
Davidica tandem comprimit Vrbe gradus

Gethse-

Gethſemanos hortos, & adorat Golgothis arces;
Mille dat amplexus, oſcula mille ſolo;
Ocius at ſacro cervix roratur ab amne,
In quo merſa ruunt crimina ſontis Adæ.
Vt latices tetigit: lacrymarum diffluit imber;
Mox madidus placida provocat aſtra prece.
Non ſum qui fueram miles, placidiſſimus Agnus,
De rigido ceſſit pectore, Martis amor
Sunt ubi fatiferi chalybes? ubi ſævus acinas?
Reſpicis imbelli ſpicula nulla manu!
Aſt animam voveo hanc: aris cadet hoſtia veſtris:
Illa Panomphæi victima Patris erit.
Vos juga Carmeli fortunatiſſima Montis
Vos eritis voti, portus, & aura mei.
Ilicet è ſæcli curis, terræque ſolutus:
Eſt amor aerió vivere colle dies,
Nec mora: per varios caſus, ſublime cacumen
Ecbathanûm ſuperat, ſacraque tecta ſubit.
Cœtibus inſeritur Patrúm, Thesbitis amictus
Induitur, Matri vellera cara Dei.
Hic didicit, propriam certamine vincere carnem,
Hic rigida in ſe met tela rotare manu.
Ah quoties fuſo victoria parta cruore!
Sanguineo quoties empta trophæa flagro!

Sæpè catenato domuit dum membra flagello
    Protulit : ista placent, cœtera bella nefas.
Sic vixit, donec septeno Syrius æstu,
    Evomuit rabidas strata per arva faces,
Nec non septenis albentia vellera brumis,
    Vidit hyperborei frigida terra gelu,
Et jam fronde solum pingebat odoriferum ver,
    Iamque tumescebat palmite gemma novo:
Visere tum celebres Asiæ calor angit eremos,
    Hinc penetrat Syrii tesqua verenda jugi.
Ergo Diespolios oculis, mensusque Carizes,
    Cæsareas hospes substitit ante fores.
Diviparæ templum, surgunt hic Numinis aræ,
    Hic gemitu mixtas fudit ab ore preces.
Post ubi de reditu versans, vestigia torsit
    Inscius obscuri fornicis antra subit.
Eloquar an sileam ? vox territe faucibus hæret,
    Pieris exanimi tacta tremore silet.
Dive laboranti faveas, succurre Sorori,
    Adsis dum pavido carmine Phœbus hiat,
Atque Ego nunc recolam, quæ Persa veneficus egit
    Sub cripta, stygiis cum ciet astra notis.
Nox erat, & furvo pallebat Cinthia cornu,
    Vlla nec exiguam lampada stella dabat

Incœpit

Incœpit magicus choreas agitare tumultus,
　　Doctus ad infernos flectere membra sonos.
Thessalus ante alios senior, Cocidita vultu
　　Spirans, sacrilegi fertur ad orsa probri.
Illius ignitas emittunt lumina flammas,
　　Abscondit canas vitta cruenta comas,
Liquerat ora color, stygio suffusa veneno
　　Rugosàque manet fronte, bilinguis hydrus,
Vt geminæ per colla fluunt, refluuntque cerastæ!
　　Faucibus ut produnt sibila mista focis!
Exutum fert ille pedem, nudatàque jactat
　　Brachia, lapsa tenus poplite palla fluit.
Fert raptam tumulo crepitantem dextra cupressum,
　　Hæc erat inferno semicremata rogo.
Læva gerit vulsum lactentis ab ubere natum,
　　Vix Titana miser, viderat ante puer.
Ergo ubi compositis stabant altaria thædis,
　　Centum cerberea carmina voce tonat
Ter conversa rotat vertigine membra: susurrum
　　Ter serpentis agit, ter fremit ore Canis,
Ter flammas immergit aquis, ter circuit orbem,
　　Terga ter humano sanguine sparsa, linit.
Denique compresso jugulavit gutture puerum
　　Aerium vitæ pollice clausit iter

Heù miser! inferiis damnate tenerrimus infans,
Quando vix lucis lumina prima bibis!
Mox aperit ſtricto fumantia viſcera cultro,
Et quid portendant conſulit exta ſenex.
Poſtera ſcrutatur ſortis portenta futuræ,
Scilicet ærumnas, an fibra fauſta notet
Parte alia feralis anus, Plutonis alumna
Aſtat Saga potens, Eumenidumque genus:
Hæc jacit innumeras oculis, peſteſque, neceſque,
Et diſtans tepido lędit ovile greges
Non ſemel ad mulctram fruſtrà venere capellæ;
Defecit ſaturæ copia lactis ovi;
Nec ſolum teneros obtutu faſcinat agnos,
Sed vernum campis excutit omne decus.
Non Orci frutices, illi non gramina deſunt,
Nec ſuper Æmoniis lecta aconita jugis.
Si volet: ex Erebo revocabit carmine Manes,
Flumineas Tigridis carmine ſiſtet aquas
Si volet: Ætherei turbabit fœdus Olympi,
Et caligantes Sol agitabit equos:
Quid,quod, hyperboreo pluvias feret Eurus ab axe;
Africus; at Lybico ducet ab orbe nives
Eriphilè Circéque potens, Micaléque miniſtræ
Circumſtant: artes has docet illa malas

Vnde

Vnde leves tranant nubes, equitentque per auras,
Cornigeri pressæ lanea terga capri,
Vt subitas varient facies, oculosque videntum
Fallant; extemplò dum simulacra stupent
Mira fides! Eadem vultus, & terga Draconis
Dum gerit, & rabido pectore verrit humum;
Confestim serpentigeri capit ora ceraſtæ,
Inde refert onagrum, setigerumque suem.
Non semel auritam Midæ (non fabula) frontem
Induitur, rostro mox simulatur avis.
Sic quondam Æmatio lusisse sub æquore Protheum
Quà Cirenéidis solvere vincla studet,
Et se stagnantem vertisse paludis in undam,
Inque facem piceos evomuisse globos,
Molossique canis rabidos similasse latratus,
Gorgonidumque sonos, Fama vetusta tulit.
Artibus his, pueros est prima necare voluptas,
Vtque necet, ferrum nec rapit arma manus.
Non ope Circea non semine Centaurço
Indiget: infantis pectora, dente ferit
Vnguibus & morsu lactentia membra cruentat,
Has epulas, mensa mandere, gaudet anus
Tum sequitur Pagasça valent quid pocula, cantu
Quo Phlegeton cessit, parvit unda Stygis

Quan-

Quãdoquidẽ perimũt, vel imagine mortis inũbrant,
Quos contra magici Cantio Dytis agit
Sæpè quidem læthale ſonans percuſſit arundo
Corpora, quà citior mortis aperta via eſt:
Eminus, Eois quantum Naſamones ab Indis
Diſtant: heù tantùm Saga lybiſſa valet!
Noxia ſtrix demum, cacodœmonis atra Sacerdos,
Præparat inferno ſacra litanda Deo.
Tùm rabie fera corda tument, tum pectus anhelum
Turget ut Ogygio percita Baccha Patre,
Aut qualis ſcena furiis laniatus Oreſtes
Hùc illic nimio membra furore trahit.
It redit è foribus, crineſque ſoluta ſeniles,
Spargit avernali cimbia rapta lacu
Ter centũ tonat ore Deos, Hecatenque, Erebumque
Ingeminat, Phœbes Virginis ora tria
Tartareas accit rauco ſtridore Męduſas,
Vnde ſuo lamias devocet obſequio.
Jamque adolere manu verbenam, thuraque tentat;
Pinguis ut impoſito fumet acerra rogo
Prodit Anaſtaſides tunc ſe de fauce cavernæ,
Sic ſapiens fatuos increpat ore Magos
Quæ vos ò miſeri, quæ vos inſania cæcat?
Amentes! Orci ſacrificatis hero?

Tollite

Tollite thura, procul libamina, rumpite vaſa.
Iſta decent verum munera ſola Deum.
Non ea finierat! cum perdita turma loquentem
Arripit, & multo corpora fune ligat
Artubus innocuis ferrum demergere vellet:
Quà ſternit madido membra revincta ſolo;
At vetuit facinus Cœlum: vix lora ſatelles
Agglomerat, ſtrictum vix trahit ante forum
Nunc ego quas recolam mortes? quæ funera paſſa?
Innumeras vivens pertulit ipſe neces.
Choſroa quò fremuit! quo Marzabana furore
Canduit? haud pelagus ferbuit ira magis.
Crede pias Diomedis equas, Buſiridis aulas,
Æthiopo mites crede ſub axe Tigres;
At Sator omnipotens pœnas miſeratus Athletæ
Implicitum gemmis ſat diadema videt.
Illius ergo animam, compactos ſolvit & artus,
Vivat ut Empyreo fulgida gemma throno
Tum Deus imperium Cociti tradidit: hæcque
Gloria de fuſo ſanguine parta manet.
Hinc gemit æternas Pluton inhonorus ad umbras
Edomitum Dytem, vanaque tela Stygis,
Et canit anguineos Proſerpina ſciſſa capillos
Heù patior jaculis vulnera facta meis.

ARGU-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. GERARDI MARTYRIS.

PRovocarunt, memini, martialia timpana, imbelles nostræ lyræ fides, & bellici boatus lætantis Gradivi, incitarunt pacificos Musæ numeros, ad mulcendum æthera, innocuo testudinis flagello. Volvebatur ille dies, ne dum albo signandus lapillo; sed æterno sculpendus adamante in Cœlo, quo solemnis celebrabatur triumphus ob Othomanam superbiam prostratam, ob Turcicam Lunam defectam, ob expugnatam demum Budensem Civitatem, Principem Urbem Regni Pannonici: Austriacæ fuit hoc robur Aquilę, tùm cùm Cæsarea arma Leopoldi Augusti inexpugnabiles

biles omnium fama muros dejecerunt. Laus etiam fuit Lotharingii Generalis Imperatorii, & Bavari, Ducum, qui Phlægram illam innumeris Turciæ refertam Gygantibus eorum fulmineo ense dissiparunt. Quæ lætitia, qui plausus in toto orbe Christiano? Mea profectò Parthenopea Siren, cantus fundere, melos ingeminare numquam saturari visa est. Vidimus noctem illam, Solis instar, ob luminum copiam accensorum splendescere, obstupuitque Neapolitanum Cœlum, novum in tenebris oriri lumen. Inter hos lętitiæ fastus, inter bellicos armorum strepitus, inter sulphurea tormentorum tenitrua: nescio quomodò subrepsit nostra Camena, & qua potuit lena, pacificoque plectro, communem Patriæ comitata est lætitiam, sequens carmen dirigendo S. Gerardo Carmelitæ, primo Antistiti Budensi, primoque Parenti totius Regni Sicambrici. Fuit Gerardus origine Venetus, & cum ab ineunte ętate ad Deum traheretur, in suæ juventutis Alba, carnem subiicere spiritui conatus est. Conspiciens Mundanos vortices, in quibus naufragium non pati insolens est (ut liberiùs Deo serviret) habitum Sacratissimæ Virginis de Monte Carmelo sumpsit, quam ferventi de-

ti devotione , & tenerrimo amore prosequebatur . Sacro contectus indumento, vixit in Monasterio omnium virtutum perfectissima idæa, à qua cœteri religiosorum sumere poterant quodcumque perfectorum operum laudabilem Archetypum. Verum ei cum ingens arderet desiderium sacra loca Palestinæ videndi, quæ Christi cum hominibus conversantis, consecrata fuerunt memoriis : obtenta Prælatorum venia, iter illud arripuit : Hinc per Pannoniam cum direxisset cursum, accidit ut Hungariæ Rex ille Stephanus, qui primus populo Hungaro Evangelicæ fidei portas reseraverat , audito Peregrini consilio, apud se Gerardum retinere voluerit, destinans illum cultorem, fidelemque operarium illius recentis vineæ: Quà propter custodes adhibuit , ne sanctus vir clam fugam capesseret. Quod tacitus considerans Gerardus, noscensque hoc esse Divinum judicium , Regis acquievit voluntati. Decrevit nihilominus per septennium latere in Eremo quadam , nimis ab hominum strepitu sejuncta, ubi assiduis contemplationibus, & perennibus vigiliis , necnon asperrimis jejuniis cœlestem vitam agere posset . Elapso tempore à Stephano Rege est evocatus , ut populos

Evan-

Evangelicam fidem doceret, quod adeò feliciter implevit, ut innumeras oves ad Christi ovile gestarit. Mox effectus Episcopus, in toto Pannoniæ Regno, Christianæ fidei labara undequaque explicuit, & suo exemplo, cœlestique prudentia, qua præditus erat, tum per se, tum per suos Ministros Satanę regnum in Provinciis illis contrivit, Christique castra erexit. Dum hæc fidelis Pastor in fovendo Dei grege operatur, sedulíorque Agricola in excolendis Dominicis novalibus incumbit: ecce indefessus ille Draco, humanæ propaginis antiquissimus hostis, post piissimi Regis Stephani obitum, seditionem pessimorùm contra Gerardum commovet, & Morisios animos viperea incendit rabie, ut Sanctum Præsulem neci devoveant: In hac seditione fuit Sanctus Antistes primum lapideo turbine appetitus, & quassus, postmodum lanceis transverberatus, multiplici vulnere animam Deo reddidit, orans intereà instar ProthoMartyris Stephani, pro persecutoribus. Sit hęc Epitome Vitæ Divi Gerardi: verum quod attinet ad carmen, invitat Authòr Budam, ut Deo grates reddat, pro excusso Barbarorum jugo, & pro avita fidè in eam reversa. Cumque hoc

æquum ſit credere; ex precibus Patronorum tutelarium impetraſſe, & precipuè S. Gerardi primi Antiſtis; hinc beneficii memor, & gratitudinis, illi ſuadet, ut in laudem ſui primi Preſulis ſe totam ſolvat. Annuit Buda rectiſſimo Camenę ſenſui, & poetico veſtigio letitiam illam commemorat, quam celebravit, quando Divus Gerardus factus Epiſcopus Hungariæ, primo ingreſſu, Stephanum Regem, totamque Vrbem letitia replevit, ſuoque preſulatu locupletem reddiderit.

CARMEN XIV.

NUnc hilares ſi quãdo mihi nunc ludite Muſę:
Vos hilares nullo plus decet eſſe die
Vicit io Cæſar, Mehemetis gloria ceſſit
Auſtraſius, Bavarus, Badena vicit io.
Illa ſuper montis conſtructa cacumine Buda,
Quam Scytichus vaſtis circuit Iſter aquis
Aggeribus vallata novem, ſeptemplice muro
Septa, Gyganteis Phlægra referta viris:
Depoſuit tumidos, Leopoldo vindice faſtus;
Auguſti tandem fulmine tacta ruit.

Attamen

Attamen adversis Vrbs ò fœlicior armis;
O' magis excidii prospera sorte tui;
Te siquidem placidis Cœlû modò prospicit hirquis,
Sidereusque tuo flagrat amore Tonans.
Ad te Dia fides rediit, non amplius exul,
Illa fides, prisci quam coluere Patres
E' superis Metanea choris, Astrea, Themisque
Descendere, tuo quæque moranda lare,
At reor. Austriacis non tam te viribus ictam;
Quantum Cœlicolûm te cecidisse manu.
Illa dies quà Christiadum gens lecta, suprema
Præcinxit muros obsidione tuos:
Gerardus (sic Fama refert) Carmelius Heros
Pannonio Præsul, qui fuit axe prior,
Turrigerà confidit ovans super arce, Crucisque
Vexillum, Zephyris explicuisse dedit.
Nō ille attularat chlamydem, mitramque coruscam,
Aut pastoralis robur inerme pedis,
Qualem primævi quondam videre Sicambri
Pacificum, templis sacrificare Deo;
Sed caput abdiderat galeæ volitantibus alis,
Bellacique sacram texerat ense manum
Sica faces, furias, mortes, stragesque vomebat,
Fatiferos dederat mota pharetra sonos

Mox

Mox ubi contorſit telum furibundus in hoſtes
    Exangui ceſſit Turca pavore locum:
Quà ſaliit fidus latitans teſtudine Miles
    Mœnia, flammivomo nil remorante globo.
Cœlicus hinc Heros arces, & læſa mucrone
    Fundamenta quatit, cunctaque ſternit humi.
Eruit ex imis Arctoam ſedibus Vrbem,
    Nectens victori laurea ſerta ſuo.
Hùc ita Pannonici devenit fama triumphi
    Huc, ubi Parthenopes inclita regna manent.
Parthenope Mater meritò tua templa ciere
    Æriſera gaudent, undique voce ſonos
Ænea feſtivum jaciunt benè guttura ſulphur;
    Oreque Mulciberi feſta metalla boant.
Attonitas læto ſtellas terrore ſalutant,
    Mille volant, ſparſæ tecta per alta faces
Gratulor ò quantum tibi Buda,Sicambridis aſtrum,
    Odriſio ſortem te rapuiſſe jugo
Divorum hoc munus: Gerardi dextra, catenas
    Rupit, de caro Paſtor ovile memor;
Sed tibi nunc deceat ſibi dignas reddere grates
    Convenit in laudes ora mouere ſuas,
Quare age feſtivi ſolemnia ſacra diei
    Nunc cane, quo primum Præſul in Vrbe ſtetit.

Hæc

Hæc modulare: Deum si nobis imperat œstrum,
Non nisi de Eliadum pangere velle choro
Evenit: Surdis non fudi verba Favonis:
Audiit hæc Cœlum, nostraque vota manent.
Haurio fœlices, quas edis ad æthera voces
Buda Vrbs: Ambrosios hos gerit aura sonos.
Cum subit illius dulcissima lucis imago,
Quæ micuit patrio ceù cynosura polo:
Cum repeto tempus, quod tot mihi cœlica vexit,
Exultant tantis pectora nostra bonis
Lucifer ortus erat memini: Tithonia conjux,
Jam matutinam vexerat axe facem.
Mirabar quæ mane novus daret omina questus!
Mirabar, volucrum voce vacare nemus!
Exuerat nitidos Titan splendore capillos,
Nec sat nota mihi causa doloris erat:
Tum sic Gerardum, mea Numina mittite Patrem
Ingeminat Stephanus Rex: ferit astra sonus
Promissum mora nulla, mihi rogo reddite Divi,
Incola septenni sat fuit ille specu.
Adfuit optatis Cœlum, viridesque volatus,
Hùc Dea deflexit spes bona: Præsul adest.
Protinus aurata Phœbum splendéscere fronte
Cernimus, & melicos antra referre modos

Gestit

Geſtit ad adventum, telluſque, poluſque Hierarchæ;
　Inſolito ridet fulta nitore dies
Expectate venis, clamant Juveneſque, Seneſque,
　Labitur adque ſacros caſta puella pedes
Ictibus æriſonis; teſtatur gaudia templum,
　Mille ſtrepunt feſtis cornua mixta tubis,
Ut ventum ad Dias Pario de marmore ſedes,
　Major ubi ſuperi Numinis ara nitet:
Poplite poſt curvo fuſos Orientis odores
　Hæc Stephanus ſancto plenus amore tulit.
O'decus Hadriacum, Venetorum maxima proles
　Tandem optatus ades! noſtraque ſana colis!
Aurea lux fulſit! jam fœdus inimus amantes,
　Cœlite qua noſtrum pectora lege regas!
Tu ſacra ſidereo pro, Rege ſacella gubernas
　Tu Dux, æthereæ, tu minor Vrſa viæ
Pro re Cœlicolum, pro majeſtate Tonantis
　Defers ſceptra, nigro ſceptra timenda Jove;
Quippè animos nodis ſi torva coercet Erynnis
　Nos patriis aſtris, conciliaſque polo,
Ergo age Paſtor amans,placitis rege juribusVrbem;
　Hunc ad Olympiacum perfer ovile gregem
Sic dicens: dictis plaudit matura ſenectus
　Viuat Io, Pean, lecta juventa canit

Harmo-

Harmonicis reboat lætus concentibus aer;
    Et repetit dulces turba canora vices.
Diviparæ reddunt, tanto pro munere grates,
    Gerardi resonant nomina, Fama volat
Parte alia, Procerum magna comitante caterva,
    Talia melliflua voce, Senatus ait
O' qui Danubii celeri rate verritis undas;
    Quà jacet Arctois semita nota vadis,
Vel qui Mænalias Budæ conscenditis arces,
    Spumea frænantes ora fugacis equi:
Sistite velivolum cursum, cohibete volantes
    Cornipedis gressus, aurea lora cadunt;
Nam majora fovet gremio portenta Sicambris,
    Grandior astrigero cardine, stillat honos.
Cernite punicea rutilantem veste Dinastam,
    Ut sacra commisso det rudimenta gregi!
Illius auspiciis Eoo thure vaporant
    Ardua depictis condita templa tholis.
Olli recta fides animo, divinaque fronti
    Gratia, coccineo purpurat ore jubar.
Vos Zephyri dulces, quos nos flagravimus igne
    Dicite: Pannonios ut remearet agros?
Non ipso melior clavum tractare docendo!
    Dura vel arbitrio flectere colla suo!

Quam benè nexa sibi splendet dulcedine virtus!
  Lance pari fulget, tetricitate decor
Artibus imperium librat his, proponere noxæ
  Pœnam, virtuti præmia digna dare.
Haud minus oppressos solari, inopesque levare;
  Omnibus is Judex, omnibus ipse parens
Quid decus eloquii referam? vis ignea fando
  Plenaque gemmifero nectare, vena fluit!
Currit ut auriferis argenteus Hermus arenis,
  Finitimosque suo gurgite ditat agros
Non secus è sacro dimanat pectore torrens,
  Æthereasque sua Najade fundit opes;
Quod si divinæ referat secreta Minervæ
  Fervidus, & Zeli fulmen, ab ore vibrat;
Tunc fera luxuries arctis frænatur habenis,
  Diraque pacatas induit ira genas.
Non furit ingluvies, Bacchus perit, horrida Martis
  Arma cadunt, hydrops aufugit ardor opum.
Vana superstitio, patriis procul exulat oris,
  Victricique manu, phana prophana ruunt.
Dii tibi dent annos, pylius quos Nestor obivit
  Vt petimus, serus cælica regna petas,
Quis scit an aurifero Saturnia sæcula cornu
  Pannoniis venient te moderante plagis?

His

His adſis, lævoque tones ò Juppiter axe:
Præſule pro tanto talia vota decent.
Dixerat, & vultum plebs omnis veſtiit unum
Lætitiæ, feſtus fulget ubique dies.
Gens ut ovat, reſeratque domos, vocitatq; per Vrbē;
Cernitur in toto purpura ſtrata foro
Turba canit, placidè riſu ſaliente per ora,
Pro Paſtore, pium grex anathèma vovet
Omnibus unus amor gaudendi, gloria par eſt;
Pannoniæ Matris, Pannoniæque nurus.
Armatæ feſtum peragunt de more phalanges
Ludicra militæ ſigna, faceſſit eques.
Gerardum, Gerardum, iterumq; itérumque reclamāt;
Et vox finitimis montibus icta redit.
Tum Rex fluviorum, tumidarum Rector aquarū
Danubius, medio protulit amne caput
Et ſalice implexam frontem, muſcoque capillos
Expolians, propero venit ad alta gradu.
Ter frenavit aquas, greſſus remoratus equorum;
Ter lambit Sacros, vitrea ſpuma pedes
Cæruleis totidem conceſſit lora quadrigis,
Purior ut ſolvat læta tributa mari.
Aſt Ego Buda, bonum ructans pro Præſule verbū
Ad patrios ſparſi talia vota Deos.

Portitor ille Helles Aries; cui aurea toto
Corpore fulgescunt vellera, verque gerit;
Hactenus intonsos auri servàvit amictus,
Nec fuit obryzo qui viduaret eos.
Nunc Ego vos oro nentes fatalia Parcæ
Stamina, non ipso contemeranda Jove
Jam Jam: flaventem dorsi præcidite lanam;
Et vestra fulvas falce, secate jubas
Fatalem glomerate colum, de divite villo;
Vt faciant plenos tegmina secta globos.
Nete precor nostri longos Antistitis annos;
Si fas, Nelæi lustra novate senis.
Hei mihi trans Mauros abjerunt dicta Mulùchas
Infecit nostros Colchidis aura sonos
Ille vetus serpens humani germinis hostis;
Post obitum Regis, tetra venena vomit:
Vipeream populis animam, rabidumque furorem
Infudit, centum texuit arte dolos.
Implicuit stygios imis præcordibus ignes;
Morisiis mentes eripuitque viris
Proh dolor! in Divum lapidosa glande ruerunt!
Transfixit castum concita turba latus!
Najades gemuere feram, prope flumina mortem
Auxerunt lacrymis humida regna suis

Sed

Sed quid ego hæc memoro? miſceri gaudia fletu
  Dedecet, ac feſtum ſic violare diem.
Parco: ſed emeritas Charites tibi compote voto
  Pro patrocinii munere, ſemper agam
Finiit: hic ceſſis Vrbs Buda potentior armis,
  Plauſerunt dictis, terra, poluſque ſuis.
Interea feſto muteſcant plectra boatu
  Imbellis, Martis vincitur ære lyra.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ DIVI BERTHOLDI

Bertholdus, Carmeli & Galliæ æquè decus, fuit utriusque proles, quem alter Cœlo, altera terris peperit. Materno quasi cum lacte amorem beatissimæ Virginis hausit. Hinc suo cultui se dicare decrevit, & adveniente ætate cum divinarum litterarum amore ferveret, Parisiis Doctoratus laurea insignitus est. Urgebant tunc dura tempora, in quibus Christiana tuba, fideles invitabat, ad labara explicanda, ad arma capessenda, ad classes expediendas adversus Saracenos, ut cæleste depositum Dominicæ sepulturæ, è barbarorum ungibus eriperent, & loca illa sancta, divino cruore pretiosa ad Christianum

num redirent contubernium. Interfuit Bertboldus, huic fidelium armorum bellico apparatui, & cum Christianas copias à maximis angustiis opprimi conspiceret, votum emisit Deo exercituum, se religionem ingressurum, si divina miseratio suam aciem à tantis dignaretur arcere periculis. Re obtenta, Christianisque cohortibus ad meliorem frugem redactis, soluturus votum Altissimo, Carmeliticum Montem ascendit, in quo cum Deiparæ habitum postulasset, illo donatus est, Eremitarum omnium lætitia. Mirum est quanto ardore Evangelicam sit aggressus perfectionem! Quanto impetu ad religiosæ observantiæ rigorem evolarit! Non illum ut Tyronem agnoscebant veterani Cænobitæ, sed ut diù exercitum in Monastica palestra admirabantur. Præcipuè admirabili pœnitentia, omnes præire visus est. Oleribus si quidem, radicibusque victitans, unica, modicàque refectione toto die satur erat, quam etiam orationis exercitio, quandòque omittebat. Hac vitæ ratione, multos annos in Carmelo exegit, omnibus norma sanctitatis: Verum cum reliquos annos, in assidua contemplatione, & quiete sui spiritus transigere meditatur: divina Altissimi dispensatio, illum totius Ordinis

dinis

dinis Generalem præpositum voluit; Si quidem cum Aimericus, Antiochenus Patriarcha, & Bertholdi consanguineus, missus in Hierosolimam legatus à latere sedis Apostolicæ, Carmelum ascendisset, obstupuissetque Carmelitanorum cęlestem vivendi tenorem, eos maximis favoribus est prosequutus, & Divum Bertholdum, omnium assensu electum, Priorem generalem nuncupavit. Hujus ponderi sarcinę, imparem se existimans Sanctus, prius onus respuit, postmodum Fratrum lacrymis expugnatus, & maxime Spiritu sancto afflante tergum supposuit. Factus Atlas Carmeli tenacius vitę regulari adhęsit, quam sermone, & opere alios docebat, benè sapiens, homines plus exemplò moveri quam verbis. Ardor beatissimę Virginis, quem ut dixi ferè à Genitricis suxit uberibus, adeò suo pectore ęstuabat, ut piaculare existimabat, aliquam horam labi, in qua illam piis, & affectuosis salutationibus non adoraret humi prostatus & prę amore, lacrymis madidus. Ejus facies sępè sępiùs Solis instar radiorum, coruscare apparuit; quin tanto fulgore splendescere; ut aliquorum Religiosi in illum tamquam in Moysem, pupillarum aciem figere non possent. Divino urgente Spiritu, ventura

tura

tura multa prædixit ; inter quæ genuina fuerunt illa, quæ de Terræ sanctæ calamitatibus prophetico lumine vaticinatus est. Sed omnium, me Judice famosissima gratia fuit, quando in extasim raptus, innumerorum Carmelitarum animas (quas Turcicus acinas, Saracenusque gladius devorarat), vidit incredibili sui cordis lætitia, ab Angelicis cohortibus ad triumphantem Hierusalem asportari. Tantis ditatus charismatum thesauris, jam longeva senectute decrepitus, immensisque refertus meritis, suo Creatori spiritum reddidit è Carmelo ad Olympum evolando. Hæc de Bertholdi vita; Verum nostra Elegis hæc supponens, visionem illam Fratrum Carmelitarum Martyrum, ascendentium Cœlum, cum palma, purpureisq; coronis, poetico oestro enunciat, recensetque nomina, & varia martyriorum genera, quorum virtute, lapides illi Carmeli, carnificum politi malleo, ad Cœlorum fastigia fuerunt collocati.

CARMEN XV.

PAnde fores Diuûm, Cœlos quæ pandis & astra
Uranie, superas oro reclude vias

Tu mihi, nunc tanti, ſis læti carminis auctrix,
Tu, quæ Pieria ſidera lege regis.
Cum dederis lutei conſcendere culminis axes,
Aoniam dederis cum tetigiſſe chelyn:
En tibi bis geminum ſolvemus munus amoris,
Dona feret grato pectore, bina Charis,
Auſpice te recolam, ſpectacula viſa theatro,
Æterni ſolium fulgurat unde Jovis:
Tùm cùm Bertholdus, divino percitus oeſtro;
Eliadum genios, vidit adire polum.
Illum jam pridem, Solimes pia cura premebat:
Heù quantùm ad Solimes nomina, cordis amor!
Non fuit Æneadum tanti expugnare Siona,
Nec magis à Tito bella novaſſe quater;
Vt ſibi cura fuit, Davìdis mœnia Regis
A' Saraceno, bis rapuiſſe jugo.
Ah quot ad ætheros emiſit vota penates!
Qua prece non juvit ſollicitaſſe Deos?
Cœlicolis aliter viſum: ſub compede flevit
Barbarico, tellus Numine digna Parens.
Tandem, venturi non Heros inſcius ævi,
Flenda Paleſtinis nunciat eſſe mala.
Scilicet arcano præſenſit lumine, clades,
Armaque continuis inficienda dolis;

Sed

Sed quia nulla dies, adeò madet humida nimbo,
Vt non assiduo Juppiter imbre cadat,
Nec Fortuna gravis, quidquam lacrimabile fecit,
Vt non ærumnis gaudia mixta fluant:
Ecce inter gemitus, inter suspiria surgit,
Lætitæ mæstas, quæ fugat Iris áquas.
Scilicet Empyreos ascendit Spiritus orbes,
(Quem rapit ad superas ecstasis alta rotas)
Visus in astrifera vestigia ponere sede,
Hosque per Aligerum verba, bibisse sonos.
Desine rorantes lacrymarum fundere fontes;
Galle, voluptatum flumina, corde trahe.
Cerne triumphales Carmeli germina Fratres,
Vt celeri remeent sidera victa gradu!
Aspice Cæsarium! florent sua tempora sertis
Purpureis! pingunt viva roseta comas!
Non timuit fera tela, manu vibrata furenti
Præsidis intrepidús spernit ut ille minas!
Ingeminat: chalybem revoca, molire bipennem
Si mihi mille forent pectora, mille paro.
Adde novos ictus; plumatas adde sagittas,
Quò pennas addes, astra petam citius.
Ille viden, longa juvenis transfixus ab hasta
Est Cerealis. Habet proxima sorte loca

Aſſyriæ proles, Eoæ gloria gentis,
Sol ubi puniceos mane flagellat equos
Candida mens olli, nivei ſine crimine mores;
Palma manus, ornant lilia pura caput.
Non ſic immixto lucens adamante pyropus,
Alter, ab alterius lumine, lumen habet,
Vt duplici ridens, radiat ſua forma decore,
Sanguineam credàs lacte rubere nivem.
Quot tulit ante necem ſævo tormenta Tyranno?
Ipſa pavet tantum pangere Muſa nefas!
Huic geminum tunſa lumen de fronte revulſum;
Huic rapti dentes, dilaniata gena.
Auribus hic caruit, caruit linguàque, nec ullum,
Vt priús, humano manſerat ore nitor;
Mox cecidere manus ambæ, quas fixerat ante
Illaqueata ungues inter arundo ſuas:
Tandem præciſis non uno vulnere ſuris
Transfodit tenerum, lancea lata latus:
Nunc ſua plus ſplendet, poſt vulnera paſſa juventus,
Quæque magis rutilo plaga phlegonte micat.
Tertius ille (viden) ramis redimitus olivæ
Eſt Samuel, Graii nobile germen Hali
Nuper Chriſtiadum cataphractos junxerat Argos,
Suetus ad infidos arma ciere Duces;

Sed

Sed dum palantes acies prospexit Jesu,
Fervidus, ad profugos, talia verba dedit.
O' animæ egregiæ, gelidus pavor omnis abesto,
Quò fugitis? cæptum quòve tenetis iter?
Nulla premunt Superum vos Numina; Viles
(Proh pudor), Hemonii, vertere terga dabunt?
Quo ruitis? per vos oro, & per bella peracta,
Fidite ne pedibus, ne properate fugam.
Illa est aspicitis, gladio rumpenda per hostes
Semita, Cappadocum quà globus ille furit,
Illuc flectè gradum. versoque relabere cursu.
Ah spe fallaci gens mea, lude Syrum.
Macte animo; Audentes semper pia fata juvabunt,
Sivè suos optent vivere, sive mori.
Aut hic vincendum vobis, aut hic moriendum.
Maturate: per hanc itur ad astra viam.
Quis non maluerit, Cœlum pro morte pacisci?
Æthere quàm bona sors vivere semper erit!
Et memores vos esse decet, tellure sub ista,
Authorem vitæ, sustinuisse necem,
His animos dictis, virtutis ad. urit amorem,
Et jam versa phalanx, rursus ad arma redit;
Sed dum avidos pugnæ, rigidis calcaribus urget,
E' rabido stridens hoste sagitta volat:

Illa

Illa volat, medioque ſtetit clamantis in ore,
Et vitæ, & vocis, cuſpide clauſit iter
Purpuream vomit hic animam, cui ulcus apertum,
Militibus, pluſquam lingua diſerta fuit.
Aſpice temnentem diriſſima lora Sebaſten,
Mira fides! quantis hìc flagrat ira flagris!
Mille ſuos tortor nodavit funibus artus,
Ter totidem quatiit corpora verberibus:
Parciùs iratum contundit littora pontus,
Parciùs hybernam percutit imber humum;
Vt geminat crebris lictor trux, ictibus ictus,
Vt laniat ſtrictis ſaucia terga rubis.
Ille tamen duris dum ſubdit dorſa flagellis
Geſtit: & ad ſerius penè laceſſit opus.
Eja age conclamat. Quid ceſſas? tunde lacertos:
Palmula cur nondum ſaucia? tunde femur.
Brachia ſulcentur, ceù terram ſulcat arator,
Ilia fidantúr, findit ut arva bidens
Sic vocitans; animas pulſantum incendit, & iras:
Hi magis, incumbunt jungere flagra flagris
Verbera verberibus, vires & viribus addunt,
Jam cadit in fluvios fuſus ubique cruor,
Vulnera miſcentur ſine margine, vulnus in unum,
Vna ex innumero vibice, plaga manet.

Ah

Ah ſcuticas, ah vincla miſer diſcerpe: quid audes?
Hæc illi majus dat laniena decus.
Obtigit: exanimi de corpore, ſanguinis oſtra
Aſtra coronatis inſervere comis.
Quis procul ille ſenex lacera cum veſte Sacerdos?
Noſco ſacros crines, canaque mente ſcio.
Eſt Petrus is, Libani venerabilis accola Montis,
Plurima quò circum ſurgit odora cedrus;
Sed non ille, ſuo nutrit tot vertice flores,
Quot meruit capiti florea ſerta Petrus:
Structa ſuper ſolidam manſit ſua gloria petram,
Nominis ut fauſtum manſit haruſpicium:
Petriſoni ſiquidem de terræ glandibus imbres,
Ad ſuperas illum ui rapuere domos,
Non ſic Armenii laniant armenta Leones,
Vt feriit ſanctum perdita turma ſenem:
Circum oculos errant, errant & tempora circum,
Vibratá immani ſaxea tela manu.
Cervicem illidunt; ſed non minus ilia quaſſat
A' tergo crepitans dura procella ſuo
Vocem animumq;citus rapit impetus:Æthéra tranat
Spiritus; at corpus contegit icta ſilex.
Nil lapidum ſeges illa fuit, ni pyramis alta
Quà ſuperum genius promptior iſſet iter.

Fas

Fas erat, ætherea ſic quadraretur in Vrbe;
Carnificum ſaxis, tàm bene tunſa petra
Vis, & concordes animas, maneſque gemellos
Viſere, fraterna nunc quoque cæde pares?
Fœlices queis una dies tulit, abſtulit una
Vivere! quos etiam fax cremat una duos!
Didimus & Juſtus ſunt hi: dulciſſimus error
Omnibus, ut Cœlo Tyndaridæ juvenes.
Ambobus genus unum mortis, ſors fuit æqua:
Scilicet accenſo claudere fata rogo.
Emicuit fidei geminorum lux, mage flamma,
Quæ dedit urendæ, pabula bina pyræ.
Non ſic ardentes Virgo Pellæa, favillas,
Impavido ſubiit (dentibus orba) gradu;
Vt læti petiere faces ſimul, alter, & alter:
Cuique amor, in medios præcipitare focos.
Tædam inter, piceoſq; globos, non luctus, & horror
Cernitur: attonito defuit igne timor;
Immò ſidereis figentes lumina flammis
Æterno laudes concinuere Jovi:
Donec inexuſtos peſtis conſumeret artus,
Et fierent unus, corpora dupla cinis
Qualiter halanti conſcendit ad æthera fumo
Tradita Vulcani thurea maſſa gulæ;

Sic

Sic geminata, Deo dulcem dedit hostia odorem,
Vt saliit superos ignibus usta lares
An tacita ternos Heroas voce relinquam,
Queis dat olorinas curva senecta comas?
En Paulus, Simeon, & (verè nomine) Fęlix
Tres (animo juvenes) occubuere senes.
Illos longa sitis, & sæva subegit egestas,
Sed rapuit vitæ munia, passa fames
Proh scelus! & ferro, laqueoque & parcere flammæ,
Ut mora sit mortis, plus truculenta nece
Bis quater Eoam Titan lustraverat aulam,
Occiduo totidem laverat amne rotas;
Semper & expertes somni, potusque, cibique
Funere pejores, oppétiere modos;
Adde quod occlusi tenebris, sub carcere cæco
Illis sandapilæ, lectus, & ædis erant.
Usquè adeò damnis fracti: quod fornice demum
Decrepitas vitæ desuerere moras;
Sed nunc quisque suo redivivus ab aggere Phænix,
Cernis ut æternum vestiat ore jubar!
O' fortunatos! ò terque, quaterque beatos
Adamidas! nostis si bona vestra semel!
Quam prosit miseram carnis liquisse lacernam,
Et levis ætheros exuperare tholos!

Cerne triumphalem maris inter glauca cohortem,
Quam diphabi tyrius muricis ambit honor
Illa est, æquoreæ pubes damnata procellæ,
Fisa fluentisono victima sacra freto.
Effera mens hominum, scopulis & durior undis!
Ah quantum ad diras ingeniosa neces!
Quis credat? laceræ gens en committitur alno!
En datur insano ludicra præda Noto!
Quam male compactum robur! sine remige lembus;
Texitur haud costis quassa liburna cavis!
Clauvs abest! lenes non carbasus evocat auras!
Dissecta nullus puppe Magister adest!
Jactatur generosa cohors, huc fluctibus, illuc,
Orba gubernaclo flamen ut ante cinis
Jam, jam secretæ, pontus subit ostia navis,
Jam nova furtivum rima recludit iter.
Tres errant pelago, furva caligine noctes,
Tres errant (clara sed sine luce) dies
Postera lux Phæbi, primos cum duceret ortus
En levis Egęis prora laborat aquis
Solvitur hæc demum, spumas referatque profundi
Dives Carmeli trabs abiegna viris.
Naufraga sors illis; refluens ubi Bosphorus arctis
Faucibus, Jonios Phorcidis arcet equos

Mol-

Urna fuit, liquidum duro pro marmore; marmor
Illis, queis medio gurgite vita mori eſt.
Flens reor in gremio, Neptunus condidit artus,
Obtulit & dulces Tethys amara ſinus.
Teſtis tú glauci gens cærula Numinis: & tu
Nereis æquoreis fletibus aucta ſalum.
Sic malum rexit, divini flamen Amoris,
Vexit ut, ad Cœlum trabs pagaſæa Duces;
Sed ſileat nunc Fama viros, quos extulit Argo;
Nam velut, hæc res eſt facta, ita ficta alia eſt.
Hæc quæ turba venit, turbam ſupereminet omnem,
Eſt de cognato ſanguine, Galla phalanx
Candidior nivibus, tyrioque rubentior oſtro,
Dextra gerit palmam, læva geritque crucem.
En qui Phæbeos ſuperant fulgore jugales:
Lothophagi nuper præda furoris erant!
Aſpice victricem diverſo funere gentem,
Omnibus ut variis mortibus, æquus honor!
Per medium huic abiit cuſpis feriata: cruores
Ebibit irriguos, fluminis inſtar humus,
Illi per coſtas eſt belliger enſis adactus,
Hæſerunt lateri plurima tela ſuo.
Deſiit haud iſti dentatæ lamina Serræ,
Corpus quæ partes diffidit in geminas

Huic ſtimuli admoti, cui ferri pecten aduncum,
Efficit vacuas ſanguinis eſſe fibras;
Pars autem, ſcythicæ denudans colla macheræ,
Cervice abſciſſa, truncus inhæſit humo:
Qualis falcifero ſeges interfecta colono
Æſtivo jacuit, maſſa reſecta ſolo.
Pars, picis ardentis, candenti merſa lebetho,
Aſcendit ſuperos, victima grata fores
Pars, olei liquentis, & unguine perlita mellis,
Vivere Solares deſiit ad radios;
Major at alitibus Cœli data portio: brutis
Telluris: Nerei ſquàmiféroque gregi.
Corpora viva (nefas) avido ſunt eſa leone:
Mortua, murena, vulture, vulpe, cane
Quis numeret laqueo ſtrictas ſuper arbore fauces?
Quis pede ſuſpenſum corpus ad ima notet?
Non nullis ſecto putruerunt viſcera ventre,
Creverunt aliis, membra ſoluta rotis.
Non ſemel innocuis eſt tracta ſatellite pellis;
Ut ſolet occiſam, glubere Paſtor ovem.
Sæpius horrendum viſu, quater una triremis,
Diſcerpti tenuit pendula fruſta viri:
Quando pedes, ſuper antennis, ulnæque revinctæ,
Remigis ad motum diſſiliere vagum.

Et

Et quæ præterea ſicco non vidit ocello
Sævities eadem, nec rigor ipſe tubit.
Salvete ò Superûm genus, ò Galli Ætheris aſtra,
Sanguine Nazaream teſtificata fidem.
Vobis purpureis redimiri tempora ſertis
Fas fuit, & meritum ſic rapuiſſe polum,
Et nunc una quies cunctis; cunctis labor unus
Si fuit: Æternúm, gloría, vita manet
Tu Bertholde, decus, faſtumque tuere tuorum,
Et grato Charites ore, repende Diis.
Non equidem, tali dedignabatur honore
Carmeli vertex, qui ſecat aſtra jugo.
Ergo ne tumido ſtillet de lumine rivus
Amplius: haud meſtis ſit tibi gutta genis.
Poſthac præcinctus Peneide fronde capillos
Carmeli Vates, omnia læta cane.
Aliger hòc dixit, potius ſeù dicere viſum
Bertholdo; feſtos quà ciet ore ſonos
Exulet, ignotas luctus, mærorque per oras,
Triſtitias refugum per mare ventus agat.
Nunc mihi deveniant hilari nova gaudia plauſu
Mens meditetur Jo, vox moduletur Jo.
Dixit, & in tenues aſpectum labitur auras
Succeſſor lacrymæ, riſus Joque fuit.

Sic

Sic benè lucidior ſurgit poſt nubila Phæbus:
Poſt Hyadas Cœlo clarior Urſa micat.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. BROCARDI

HIeroſolimis ſortitus eſt incunabula Divus Brocardus, in quibus rudimenta fidei Chriſtianæ hauſit, ſeque ad omnium virtutum ſemitam currendam adoleſcentem præclarum exhibuit. Non dum prima lanugo pinxerat genas: cum Deiparæ dè Monte Carmelo amplexus eſt inſtitutum, in quo adeò profecit, ut ſupra cæteros fulgeret non

non fecus ac splendore Sol cæteros Planetas exuperat. Ejus singularis sanctimoniæ, & raræ prudentiæ conscius Albertus, Patriarcha Hierosolimitanus, Brocardum pro componendis induciis, & jungendo fędere ad Saladinum, Syriæ, & Ægipti Regem misit. Apud regalem illius Dynastæ aulam, omnia ut concupiverat est adeptus: Erat enim Vir eloquentissimus, & usq; ad eò sagacis ingenii, ut mellifluo tractu sibi adhærentem lucraretur, & cor illius cum quo conversabatur, quasi nectareis catenis vinciret. Soldani Proregem, contectum lepra per totum corpus, & ambabus manibus laborantem, ob nervorum attractionem, sanitati restituit. In hoc miraculo, se patefecit veracem filium, nostrorum Parentum Eliæ, & Elisei: Siquidem infirmum, ad Jordanis flumen perduxit, & illius aquæ lotione mundavit. Insuper cum corpore animam tersit; baptizavit enim illum, unicoque lavacro duplex contagium, membrorum scilicet, & spiritus fugavit. Candidatum hunc, mox in sacrum Carmeli Montem attulit, qui in Ordinem nostrum adoptatus, & Sanctissimè perseverans usque ad vitæ terminum, ad Christum qui mons est emigravit. Ali-

bi vir ſanctus Brocardus, miraculorum gratia excelluit, inter quæ illud celeberrimum Fama promulgavit, quando mortuum Adoleſcentulum ſuſcitavit, & ad religionis habitum induendum promovit. His plurimiſque decoratus meritis, omnium aſſenſu, præpoſitus Generalis eſt electus, ſecundus in ordine poſt S. Bertholdum, & ipſius ſanctitate, & doctrinæ efficacia, multum Ordo Carmeliticus hauſit incrementi. Ab Alberto Patriarcha Hieroſolimitano, popoſcit regulam, quam cęleſti prędītam ſpiritu miſit Antiſtes, & in qua, licet laconicè, eſt tamen omnium virtutum aggerata perfectio. Illam quam Præſul obſervandam propoſuit, unanimiter Carmelitæ Fratres amplexi fuerunt, eſtque identidem ea, cui nos Carmelitæ excalceati, abſque ulla mitigatione obtemperantes, ad unguem veneramur. In præſenti Carmine, paraphraſticè licet more poetico regula noſtra enunciatur, eſtque eadem epiſtola quam Albertus Patriarcha Hieroſolimitanus, S. Brocardo miſit. Regula noſtra ſequens eſt.

R E-

REGULA.

Albertus Dei gratia Jerosolimitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis filiis Brocardo, & ceteris Fratribus Eremitis, qui sub ejus obedientia, juxtà fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & Spiritus sancti benedictionem. Multifariè, multisque modis, Sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modum religiosæ vitæ elegerit; in obsequio Jesu Christi vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conscientia bona deservire. Verum quia requiritis à nobis, ut juxtà propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

DE PRIORE HABENDO, ET TRIBVS SIBI PROMITTENDIS.

Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omniumque assensu, vel majoris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.

DE RECEPTIONE LOCORVM.

Loca autem habere poteritis in Eremis, vel ubi donata vobis fuerint ad vestræ Religionis observantiam, apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

DE CELLIS FRATRVM.

Præterea juxtà situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum, singulas habeant cellulas separatas; sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

DE COMMVNI REFECTIONE.

Ità tamen, quod in communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo, ubi commodè poterit observari sumatis. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit juxtà introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum, primus occurrat, & de arbitrio, & dispo-

dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel juxtà eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationbus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

DE HORIS CANONICIS.

Hi qui horas canonicas, cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non noverint, viginti quinque vicibus, Pater noster, dicant in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis, prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur Pater noster, vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis. In aliis quoque horis septies similiter eadem dicatur oratio sigillatim, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

DE NON HABENDO PROPRIVM.

Nullus Fratrum, sibi aliquid proprium esse dicat; sed sint vobis omia communia, & di-

stribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem, ab eodem, ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.

QVOD LICET HABERE IN COMMVNI.

Asinos, autem, sive mulos, prout vestra expostularit necessitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, sivè volatilium ad nutrimentum.

DE ORATORIO, ET CVLTV DIVINO.

Oratorium prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi mane per singulos dies, ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri potest.

DE CAPITVLO, ET CORRECTIONE FRATRVM.

Dominicis quoque diebus vel aliis, ubi opus fuerit de custodia ordinis, & de animarum salute tractetis: ubi etiam excessus, & culpæ Fra-

Fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate media corrigantur.

DE JEJVNIO FRATRVM.

Jejunium singulis diebus, exceptis Dominicis, observetis à festo Exaltationis Sanctæ Crucis, usque ad diem Dominicæ Resurrectionis; nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat, quia necessitas non habet legem.

DE ABSTINENTIA CARNIVM.

Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed & carnibus suprà mare vesci licebit.

EXHORTATIONES.

Quia vero tentatio est vita hominis super terram, & qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur; Adversarius quoque vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit

quæ-

quærens quem devoret, omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis, muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim, cogitatio sancta servabit te. Induenda est lorica justitiæ, ut Dominum Deum vestrum, ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & tota virtute diligatis, & proximum vestrum tamquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei abundanter habitet in ore, & cordibus vestris: & quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper Diabolus inveniat vos occupatos, ne ex ociositate vestra, aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc beati Pauli Apostoli, magisterium pariter, & exemplum; in cujus ore Christus loquebatur, qui

qui positus est à Deo prædicator, & Doctor Gentium, in fide, & veritate, quem si secuti fueritis, non poteritis oberrare. In labore inquit, & fatigatione fuimus inter vos, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi nos, non haberemus potestatem; sed ut nos met ipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter Vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem, qui hujusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent. Hæc via, sancta, & bona ambutate in ea.

DE SILENTIO.

Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur. Cultus Justitiæ silentium est. Et rursus in silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideòque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis usque ad primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore licet silentii

non

non habeatur observantia tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur. Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet; In multiloquio peccatum non deerit. Et qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. Item qui multis utitur verbis, lędit animam suā. Et Dominus dicit in Evangelio. De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, & fręnos rectos ori suo (ne forte labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus ejus usque ad mortem) custodiens cum Propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua, & silentium (in quo cultus justitiæ est) diligenter, & cautè studeat observare.

EXHORTATIO PRIORIS AD HVMILITATEM.

Tù autem Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & observetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit inter vos major fieri erit minister vester, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Exhor-

EXHORTATIO FRATRUM, UT PRIOREM SUUM HONORENT.

Vos quoque cęteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra, & Ecclesiarum præpositis ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia, mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundum quas vivere debeatis. Si quis autem super erogaverit ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

CARMEN XVI.

Hanc Ego, de Solimis Albertus mitto salutem,
Semideisque viris, semivirisque Diis.
Vos cognata tenent Carmeli culmina Cœlo,
Et juvat Eliæ vivere propter aquas.
Fęlices queis nulla ciet Fortuna tumultus,
Quos solos, toto præterit orbe dolus.

Ah, si sors sineret viridantia visere Tempe;
    Quam mallem ad caros ipse redire lares.
Injicerem vestro pendentia brachia collo,
    Amplexus peterem nate Brocarde tuos
Fata vetant: Duro pastoria compede cura,
    A fiso prohibet longior esse grege:
Eloquii supplere tamen scit epistola munus,
    Dum mittens gratas itque, reditque vices:
Nuper vivendi legum mandata rogasti,
    Quæ tua posteritas intemeranda colat.
Quid loquar? Hæc olim plures docuere Magistri,
    Qui nunc æthereo Sol velut axe micant.
Condiderit quot jura patet, Basilius in Argis,
    Jura quot Hipponis regna per afra Pater;
At quia non illa cupitis modò degere norma
    Alter, & est vestra mente repostus amor:
Hunc capite æterna victuri lege tenorem,
    Hæ non delendo sint adamante notæ.
Sit primùm vobis Prior unicus, alter ut Atlas
    Carmeli: hic animos qui regat unus erit.
Dedidicit géminos Navarchos una liburna,
    Solius imperii non capit aula duos;
Huic voti compos de cœtu pareat omnis,
    Omnis ad obsequii munera primus eat

Nec

Nec ſit ad Antipodas, qui deneget ire pedeſter,
Verrere vel Thules, ſi volet ille, ſalum.
Quandoquidē, non rere hominem vox inſonet illa;
Nazareum potius vox ſonet illa Deum.
At locus arcanas ſit conſitus inter eremos,
Aptior ad veſtri ſacra miniſterii.
Quid melius, potuiſſe piis conſumere ſilvis
Æuum; quà nullo ſit via trita gradu?
Ille ter, ille quater fęlix, qui criminis expers,
Longius innocuas nectit ab Urbe moras:
Vernat ubi tellus; ubi Dædala prata vireſcunt,
Lucida monſtrat ubi purior ora polus.
Exurgant modicæ tectorum pondere cellæ,
Una ſit, in parvo, parva feneſtra lare.
Inſideat quiſquis, ſola quaſi paſſer in æde,
Ex illo, proles non niſi cantus erit.
Scilicet in Domini tabulis, noctúque, diúque
Evigilet, ſuperas & meditetur opes;
Has repetet currum rutilo, ſeù promat ab Ortu
Titan, ſeù currum Tethyos abdat aquis.
Vt ſolet exiguis apis aurea condita cellis
Aerium dulcis fingere mellis opus:
Vos ità ſiderei concluſi fornicis alveo;
Cœleſtes Domino mellificate favos.

Prandia sed parcis adsint communia mensis,
Ad mensas comites, vos decet esse simul:
Omnia quæ poterit largiri fercula pietas:
Semper ab æthera credite fusa manu.
Quis legat intereà, volvens monimenta Parentũ;
Deque suo gratus profluat ore sonus.
Audiat hos avidus sacras conviva papiros,
Et bibula suaves hauriat aure cados.
Ah procul ut solùm recreetur corpus edendo;
Ceù, fera nil præter quærere nata cibos;
At quorum ratio, mens est dictamine dives:
Humanam pellant pabula bina famem.
Vestibulum ante ipsum, princeps sit cella Prioris,
Promptior, ut fessis obviet hospitibus,
Deque suo semper procedant omnia nutu;
Dum primo custos limine, cuncta videt.
Ædibus in mediis surgat venerabile templum,
Arcanos aditus, ambiat ara triplex.
Si non alba Paros tecto, guttata Caristos
Pariete, neve Chios, sit pretiosa solo:
Atria non auro radient, viridique smaragdo;
Nec ferat excelsos recta columna tholos,
Sit cerussato saltem sua forma nitore,
Candidior nivibus candor ubique micet:

I Chloris,

Chloris, odoriferis locupletet floribus aras,
Purpuret æterno vere, ſacrata domus.
Sæpius hic nemoris cultor, majoribus orſis
Oret, & aſſiduas fundat ad aſtra preces.
Hic locus, hæc ſedes, erit hoc altare roganti
Propitium, ſurda ne foret aure Sator;
Cumque pruinoſos conſpergens Lucifer orbes,
Mygdonio veniet lucidus axe dies:
Ad pia conveniet lætus ſolemnia cętus,
Interſitque ſacris, ſupplice turba genu.
Æthereas epulas, quis non ut adoret anhelet?
Quis neget ad ſanctos corda litare focos?
Si qnis adhuc tepidus Dio deferbuit igne
Ardeat hic: Ætnæ montis ut ardet apex.
Hic Deus albiferæ Cereris veſtitur amictu
Hic ſimulat Bromii, quem parit vúa ſcyphum.
Palmitis hic cyprii botrus, dicetur ariſta
Chriſtus, Virginea, quæ micat axe manu
Olim Bethlæas páleas, non horruit infans
Hic nunc frumenti mergite, vinctus ovat!
Sique Chana ſcatuit Læneus ſanguis, ab urna
Fluminis; hic Verbi fit cruor, ecce merum!
Fęlices oculos, queis hæc ſpectacla videnda
Contigerit, nullo præteriiſſe die

Inſu-

Insuper, in vobis rerum penuria regnet:
　　Pauperies potis est vincere sola polum.
Quid sunt divitiæ nisi lurida mortis abyssus?
　　Æstuat hæc semper, Dytis in igne sitis.
Non frustra, est imis auri domus, abdita terris.
　　Fędus & æternum cum Styge limen habet;
At contrà Superis victrix dominatur egestas
　　Arcibus: estque piis sarcina cara viris
Ergo quisquis erit: nullo sit dives in auro,
　　Non aliquid proprii somniet esse sibi.
Tantum quadrupedes, onerumque levamen asellos
　　Seù clitellares, fas sit habere nothos
Nec non glociferas, animalque volatile quodvis,
　　Aptum nutrices, progenerare dapes.
Nunc juvat Isaciæ testudinis ire sub umbra,
　　Quam tetigit Vates pollice Jessiades.
Davidicos numeros quis non canat ore libenter?
　　Personuisse sacrum deneget ullus ebur?
Psallere qui norit, psallentis Carmina Regis
　　Psallat, ut antiqui perdocuere Patres:
Scilicet hinc, illinc, numerosa voce vicissim
　　Concentus geminet, quos dedit ille Deo;
Non secus, aligeræ legio super astra cohortis,
　　In laudes superi carmina pangit Heri,

Qui

Qui laicus, nullos decachordi norit amores:
Orantem Domini fundet ab ore ſonum:
Quippe,(Pater)vicibus moduletur quinque viginti,
Excubias noctu pervigil ante ſacras;
Si tamen Æthereo veniet lux ſacra Monarchæ,
Aut mage ſoleinnes, Sol vehet axe dies:
Sancimus geminare preces: ſic fęnore duplo
Quinquagena ſonet vox iterata,(Pater);
Aſt ubi lux primos Auroræ panderit Ortus:
Septenos recitet, lucis ad orſa (Pater)
Temporibus reliquis, venientibus ilicet horis
Is ſeptemgeminas, cantet ut ante notas;
Excipe ſi Clero laus veſpertina canatur;
Quindecies ſolitas nam tonet inde preces,
Sed jam longa vocant parco jejunia victu,
Texere Tartareo jura pavenda foro.
Adſis ò Metança ſacris plauſura Camenis
Sancta velis dextræ, dextra favere meæ.
Sobria vos eritis noſtris opsónia chartis
Lauta fames, menſis, pinguis orexis erit
Per vos emeruit Superûm conſortia Moſes,
Numinis & ſcriptum pollice novit opus:
Per vos iunumerum proſtravit Juditha campum
Dum Ducis Aſſyrii meſſuit enſe caput

Nec

Nec nocuit ternis Babilonicus ignis ephebis;
Sed ſtupuit ſanctum fax venerata melos.
Per vos Getuli Daniel ſerat ora leonis,
Fortior eſt Sampſon, pulchior Eſther ovat;
Dumque quaterdena rejecit pabula luce,
Thesbites, olim pane refectus avis:
Ignifero curru, flamma ſtimulante jugales,
Aerios campos tranſiliiſſe meret
Ipſe triumphatam, Procion velut, advolat Æthram,
Altaque Carmeli culmina linquit equus
Quid moror? Exemplo Patris ſit ſobria proles
Sit par Eliæ, cum genitore genus.
Ergo nocturnis indicere prælia menſis
Laus erit, & vetitis abſtinuiſſe cibis.
Ordiri deceat, jejunia, tempore quo Crux
Exaltata, ſuper cęlica regna micat
Lucifer iſte, Crucis referens ſolemnia, vobis
Sit facer, & ſeptus lumine ſemper eat.
Durent hæc, Domini ſurgentis ad uſq; trumphum:
Quando polus cantat, cantat joque ſolum
Si Deus obſtructi poſtes diſſoluit Olmpi:
Jejunos etiam, fas ſolviſſe dies.
At numquam veſci placeat carnalibus eſcis.
Ah procul à viva mortua carne caro.

De

De grege ſquammigero, chriſendeta dāda parentur,
Vel de flumineis, quas alit unda feris;
Eripitur vobis ovium non lacteus humor,
Nec quæ cecropio nectare, mella madent:
Sed ſi cæruleas peragrantes Tethyos aulas,
Per mare velivolum, ſollicitetis iter:
Infirmæ vel erunt vires, hebetataque membra;
Tum dabit ex aſſa carne, popina dapés.
Vos quoque cuſtodes ovium decet eſſe ſalutis,
Ut virides ſemper germinet ordo comas.
Jam non pœniteat noxas damnare nocentum,
Aut culpæ pœnis increpuiſſe reos;
Attamen hoc medio ſemper nectatur amore;
Ænea nàm vincit pectora blandus amor.
Non Ego vos muta celebranda ſilentia lingua
Prætercam; taciti cantor at oris ero;
Sed ſi ferrea vox, adamantina pectora, centum
Guttura ſint, centum prompta referre ſonos:
Pandere ſufficiam clauſi præconia labri;
Hæc potis eſt ſolus pandere, Dius Amor.
Ille baſis fidei, triplicem conſcenſus Olympum,
Qui meruit Dii flaminis eſſe tuba:
Laudibus ah quantis arcana ſilentia tollit!
Ah quoties genitis inſerit illa ſuis!

Sivè Corinthiacis ſcribat, ſcribatue Quirinis,
 Semper (ut æthereus præco) tacere docet.
Ergò Carmeli pubes, cape jura ſilendi,
 Quæ mox Zelotypo firmet amore rigor:
Phæbus in occiduas ubi ſit proclivior undas,
 Completaſque ſonet Davidis hora fides
Conticuiſſe volo, donec dilucula ſurgant,
 Quæ moneant Primæ jam reſonaſſe modum.
Cœtera non extent obnoxia tempora, vinclis
 Arctæ tàm legis, quæ ſiluiſſe jubet;
Attamèn à nimia procùl ò procul eſte loquela;
 Semper enim noxas garrula lingua ſpuit.
Reſtat ut hortando, certo vos robore vallem;
 Ne fragili dubias puppe ſecetis aquas.
Quis neſcit quantùm noſtris contrarius orſis
 Sit ſerpens Erebi, Tartarus ille Draco?
Ah quot imaginibus, mortalia pectora ludit!
 Quæ non inferna lampade corda cremat?
Qualiter impaſtus lybicas leo territat oras:
 Rugitus quando fundit ab ore truces:
Mox nemus omne terit, pagos & circuit urbes,
 Inveniat forſan, quem voret atra fames:
Non aliter ſtygiis coluber maleſuadus Averni,
 It redit, humanum prendat ut ungue bolum,

Hunc

Hunc contra, niveis lumbos præcingite nodis,
Ne jaculét flammæ femina, vincta Venus
Justitiæ lorica, fabris conflata supernis
Cælibis asservet pectoris illa, nives.
Abdite sub galeæ caput avolitantibus alis.
Hæc erit adverso dextera Marte salus
Cudoni validum fidei superaddite scutum;
Nam sine nemo fide quit placuisse Deo;
Ille sed & gladius, quem celsi Spiritus axis
Sæpè dat è supera desiliisse plaga
Vberiùs vestri confidat cordis in arce,
Æternùm placitas construat ore domos;
Qui sic armatus, stygio se prodet Athletæ:
Ridebit stultæ, Tartara tela manus.
Est aliquid, vario quoque desudare labori
Nunc fodiant ulnæ, nunc vehat armus onus.
Otia ni perimas cecidisse Cupidinis arcum
Aspicies numquam, vel periisse facem.
Denique ceù Dio te quisque honore Brocarde
Tollit, & humanum non putat imperium;
Imum te contra reputes magis esse ministrum,
Qui sic se sternit, celsior astra salit.
Scripsimus hæc breviter; sed si superaggeret Heros:
Huic; rediens Dominus, prœmia digna feret,

Carminis hinc portus: jam cesset epistola. Phebe
Musa valete: iterum, care Brocarde vale.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. CYRILLI.

PHilippo, & Othone imperii clauum regentibus, emicuit præstantissimus Carmeli flos Cyrillus, Constantinopolitanus, duodenum circa Domini seculum. Hic Samuelis instar, & Baptistæ, à teneris unguiculis se Deo devovit, & postmodum Clericali militiæ adscribi voluit. Sacerdos effectus, in omni virtutum genere mirabiliter profecit, nec non in omni doctrinæ lyceo præstan-

stantissimum Cathedraticum se exhibuit. Erat in docendo uberrimus, in scribendo elegantissimus, in disputando acerrimus, in evangelizando fervidissimus. Ardebat adeò charitate, ut veluti aquila pupillas divino Soli incessanter figeret, & ut pelicanus pro proximorum salute corpus suum morti, vulneribusq; recludere exultaret. Intellexerat, Iconii Sultanum, Christianæ religionis tabulas legere velle, illuc evolavit, sacrosque codices secum duxit, tantàque eloquentiæ vi, Sultanum est aggressus, ut brevi (Spiritus sancti gratia aspirante) de eo victoriam reportarit; moxque infidelem, fidelem reddiderit illum, baptismatis lavacro regenerando. Constantinopolim reversus inter ipsum, & Patriarcham, orta est dissensio, circa spirationem Spiritus sancti. Annuebat Cyrillus, cum Catholicorum Corypheorum torrente, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, ille autem à solo Patre. Quamobrem, ut à græca fide, Danaisque erroribus procul esset, Deiparæ monitu, Syriam versus nauigauit, & super Carmeli Monte, suæ spei ancboram jecit. Sumpto ibi sacro indumento Beatissimæ Virginis, extemplo diuinis visionibus, & præstantissimis charismatibus ef-

fectus

fectus est dignus. Inter quæ, illud præclarius Fama celebrauit; quandò sacro in monte Carmeli faciente, suo super astitit altare, pulcherrimus æthereæ militiæ, aliger miles. Hic binas tabulas argenteas, græco charactere inscriptas gestabat, & Sacrificanti Cyrillo sic ait. Has tabulas tibi, omnipotens Deus misit familiari seruo suo, & præconi fideli, ut scripturam hanc, membranis commendes; & conflato tabellarum argento, calicem ex eo, & thuribulum ad Domino litandum efficias. Continebat argentea tabella, aliquot capita, in quibus Ecclesiæ Christianæ tempora calamitatibus, & variis ærumnis referta pandebantur. Fatidico item spiritu, enunciabatur Petri nauiculā à pluribus tempestatibus, non diù fore agitandam. Quibus omnibus obtemperans Cyrillus mysticum illud ministerium executioni tradidit, opusq; diuinum, & angelicum, singulari spiritu, ut debuit perfecit. Tantis decoratus meritis beatus Pater, cum Carmeliticum Ordinem omnium laude direxisset: in Solima Vrbe, in qua Saluator ultimum obiit diem, ipse à terreno ergestulo abiit, perpetuas cum Christo beatitudines victurus. In hoc carmine visio Angelica, & argen-

genteæ tabellæ describuntur, in quibus, ut fas erat annalia celebriora, quandò Mater Ecclesia passa est calamitatum Ibiadem, enumerantur, & ne solum in luctu Elegia solueret comas, læta aliquot de Christianorum victoriis apponuntur, ex quibus lacrymæ hujus nostræ Camenæ tergerentur. Igitur cum præsens poesis componatur, ex mixto mæstarum rerum, & lætantium; non dissimile videtur Vatis Ezechielis libellulo, æquè ex lamentationibus, & canticis commixto.

CARMEN XVII.

CInthie quid cessas, argentea promere plectra?
Mens hiat, Angelicæ pangere dona manus.
Sed qui cantus erit, qui munera prodat Olympi?
Seù canat argenti pondera lapsa polo?
Res est, Aonias quæ respuit alta Sorores,
Res est Pieriam, quæ præit una chelyn
Tu Cyrille mihi, sis majus Apolline Numen,
Cui referet melior, præscia fata Deus.
Auspice te, memorasse juvet, quid ab Æthere lata
Fatidicis monuit lamina sculpta notis

Ordiar:

Ordiat: Altari peragit dum sacra Sacerdos
  Culmine Carmeli, dum prece Numen adit:
Labitur è tremulis pulcherrimus Aliger astris,
  Cærula quem nubes syrmate velat adhuc.
Protinus exeruit sese, ut super astitit ara,
  Sidereasque sui, detegit oris opes.
Luna minus rutilat, roseo suffusa rubore,
  Eoo surgens Sol, minus axe micat.
Aurea cæsaries olli, saturata liquores,
  Ambrosios, humeros, albaque colla tegit.
Illita se niveis, immiscet purpura malis;
  At nitida purum fronte, triumphat ebur.
In teneris rident ignita corallia labris
  Luminibusque suis, Sol geminatus ovat
Demissa è tergo teneros illabitur artus
  Non nisi de stellis, vermiculata chlamys,
Pectora coccineum strophium tegit, aurea morsu
  Fibula, gemmanti, vincit utrumque latus,
Sydonius nectit suras, religatque cothurnus,
  Sandalium tyria protegit arte pedes;
Illius at dextra viridi stat germine virga,
  Plurima qua circùm Lilia verna fragrant.
Hac etiam pendet Graiis argentea scriptis
  Bractea, par pondus palma sinixtra gerit:

Cor

Corporis hæc ſpecies, aulæ ſtellantis Alumni;
Inde celebranti talia verba refert.
Accipe quas ſupera mittit Deus arce, tabellas,
Argenti, his ſæcli fata futura leges.
Annorum ſeries, venientia tempora cernes,
Quidquid in ignoto fiet, & orbe procul.
At tu membranis, & nomina, & omina manda,
Has calamo ſortes ſcribe, viceſque nota.
Poſt hæc in calicem tabulam conflaveris unam
Ex alia, cuſtos thuris acerra fluat.
Scilicet ante aras, ſacro deſerviat alter;
Altera templares luſtret odore lares
Dixerat: & tenues abiit reſolutus in auras
Galbaneoque ſtetit fœta vapore domus.
Obſtupet Angelicæ Cyrillus munera dextræ,
Expleri tanto letus honore nequit.
Et quæ ſint ſortes, venturaque ſæcula, pandit
Talis, grájugeno carmíne ſcriptus apex.
Dura manent Chriſti ſponſæ certamina. Dirus
Bellandi getico defluet axe furor.
Tybri gemes, ſeptemgelidos ardere Triones,
Ut cernes armis! ut vomet Urſa faces!
Prælia quanta parat latis Germania campis!
Imbuet inſanus pectora Martis amor.

Suppetias pendunt,Venetum,Ligurumq;phalanges,
Accurritque pedes Corſicus, Umber eques.
Quid quod, Partenope virgas detrectat, onuſque
Cæſareum, Suevos pellit ab arce Duces,
Armiſonæ gladios rapiunt Sirenis Athletæ,
Romulei redeunt ſub juga priſca Patris.
Heù quot confuſæ video nunc ſtragis acervos!
Ante oculos volitant, mors cruor, arma, faces;
Nec ſolùm hoſtiles acies furit inter Erynnis;
Geſtit ad agnatos, ire, redire focos.
Fratribus, heù fratres, genitis certare parentes,
Horrida lex Martis, civica bella docent.
Irruit in ſocerum gener, & tela impia tela
In ſua feralis viſcera, dextra rotat.
Ah ne tanta animis aſſueſcite prælia gentes,
Neù juvet in patrium vertere geſa latus.
Proiice pila manu, ſuperûm genus, Itala pubes:
Serventur ſcythico funera tanta Duci.
Tuque Prior, tu parce Pater, qui claudere Cœli,
Cæleſtine vales, ſeù aperire fores;
Nam nihil infauſti tandem, tu Roma timebis,
Servabit vires, juſque, piumque tuas.
Illa nimis, nimiumque furentior Arctos ad Arma;
Proſpicet feſſos, & ſine luce boves.

Omnia nam latè vastat prædator, & ædes
Prostituit Divûm, sacraque vasa rapit.
Ipsa terebrati simúlacra piissima Jesu,
Expuit infami Thracius ore canis,
Vestales aditus, servataque claustra pudori,
Proh scelús audaci sunt violata manu!
Hinc operosa domus, media sublimis in Vrbe
Cujus tecta cedrus, sella curulis ebur:
Quam Sophiæ primam Divæ, devoverat aram
Constantinus ovans, Imperiique parens:
Heù quot sacrilegis obnoxia sordibus hæret!
Omnia sunt sancto probra patrata lare!
Hic trahitur ruptis tremebunda puella capillis;
Vixque potest rapta virginitate queri
Hic Dux, hic miles, tibicen, vastator, humator
Nuptarum spolium triste pudoris habent.
Sic ruet imperii caput, Auroræ decus, alma
Vrbs, cadet occiduis Bosphorus ille plagis
Hac Mahomet victa, Macedos, sternetque Pelagos
Aspicis indignum, fert ut Achaja jugum!
Tum Pelopennesus, bimari quæ jungitur Isthmo;
Et qui Leucadios ambit Acarnan agros:
Quam cito barbarico plangent Mavorte subacti
Augebitque suis luctibus, Hellas aquas

Mox

Mox, Hadriànopolis claræ dominabitur Vrbi,
Et Licus, & Strimon ſub nova jura fluent.
Sic qui ſub pelago miſcentur Dalmate montes
Captivum proment ad fera lora caput.
Ille triumphalis ſtipes, Crux illa redemptrix
Orbis, ab occiſi ſacra cruore Dei ;
Non ut adorandæ patet amplius iconis aſtrum!
Numinis odit enim munus, avarus Arabs,
Et quæ Cœlicolis ſacra pubés fana dicavit
Quis credat? mendax templa propheta tenet!
Poſt hæc: ter donis veniet labentibus annis
Pejor avo proles, ex Mahomete nepos
Nomen ei Morad: Quam veri Numinis hoſtis!
Quam ferus! & ſolo nomine magnus erit.
At bello deditus, regni vix captus habenas
Helleſpontiacas claſſe ſecabit aquas.
Mox pedes Emathiæ cuneos, Hypataſque fugabit,
Et Lariſſæis vertere terga dabit.
Tranſiet Haupacti nemus, & Calydonia rura,
Epirei virides polluet igne caſas
Et celebres Bacchó Thebas, & ſubruet arces
Delphidis, Aſcræo limina cara Deo,
Leucada vaſtabit ferro, glandiſque feracis
Dodonæ ſolùm flebile nomen erit.

Qua-

Qualiter è secto præpes ruit æthere fulmen
Currit & Eoas, Occiduasque plagas:
Quàque cadit, stragem latè, pecorique, viroque
Infert, & segetes, & sata culta cremat.
Sic Morad, pagos Asiæ, turresque minoris
Destruit, armorum sic face cuncta terit
Intereà: strepitus Asia hos quoque magna pavescés,
Odrysio ponit libera colla jugo.
Sponte feras reserant, Boreales eminus Urbes
Perpetitur Lunæ Zygopolita lupos
Necquicquam obsistunt glomerantes vellera Seres;
Et timidi subeunt avia saxa scythæ
Inclita Syrorum clarissima Colchidos arva
Ad Zephiri placidum littora versa flabrùm
Totaque flaventi dives Panchaja metallo,
Quæque Palestinos circuit ora sinus
Cornigeræ plorant constricti compede Phæbes
Cunctaque Sultani sub ditione cadunt.
Quid memorem, Phænicum urbes, Galilæaq; regna?
Quid Pelusiacis oppida culta viris?
Tot varias hominum linguas, tot sceptra, tot arma;
Unica (fata volent) vis othomana premet!
Attamen æternis, ridet non latro cachinnis;
Usque nec innocuus naufragat inter aquas.

Luci-

Lucidior longa ſurgit Sol noctis ab umbra,
Poſt tempeſtates, blandiùs unda ſilet.
Gaude ſponſa Dei, venient qui damna retundent,
Qui tergant oculis uda fluenta tuis.
Carolus Auſtriades naſcetur, Belgica proles,
Qui virtute prior, nomine quintus erit.
Hic reget imperii faſces, ubi decidit undis
Phæbus, & occiduo ſub mare condit equos.
Hoc duce, ſe quantis attolet Roma triumphis?
Ætheris Arctoi gloria qualis erit?
Victrices Aquilas, Solimano opponet ovanti,
Hic faciet Lunam menſtrua damna pati.
I nùnc tolle animos Saracena ſuperbia! claſſes,
Quæ pelago ſponſas! agmina nubis humo!
Ecce fugacis equi, pernicia tergora nactus:
Mutuat ut vivas plumea dorſa timor,
Qui Germana tuis ſacraras templa rapinis.
Qui face juraras urere fana Petri!
Naſcere màgne puer, palmas tibi ſervat Idume;
Jam tibi cùm venies, præparat oſtra Lybis
Vrbs eſt Mænalio, Tunes proſpecta leone
Dives opum, innumeris Gaza referta bonis;
Hanc prope, tàm celebres ſteterũt Carthaginis arces,
(Queis præter nomen, ſola ruina manet).

Huic

Huic ergo victis Cæsar dominaberis Afris;
Hanc cernes flexo succubuisse genu;
Nec tibi Bosphoridos, sistrataq; carbasa Memphys;
Adversa poterunt nectere classe moras:
Quin tu, captivosque Duces, lybicosq; Stratègos
Ante triumphales videris isse rotas;
Quique prior, Fratrisque fuga, regnoque superbus.
Vincula Christicolis intulit, ille feret.
Nascere magne puer, saturatum murice tegmen;
Sub tyriis texit punica Doris aquis,
Expectatque suos decorandos sanguine fluctus,
Quem Sarranus aget saucius ore Canis.
Altera sed veniet soboles dilecta Tonanti
Nomine Battorides, gloria Parrasydos.
Carpatiis erit hic geminus Gradivus in oris;
Et decus, & gelidi bellica flamma poli,
Sivè pedes certare volet: certamina solus
Obvia prosternet, primaque colla metet;
Et Martem gladio, cursu superabit & Euros
Quòque gradús tulerit, falx ibi mortis erit;
Sivè super volitantis equi, bellabitur armo:
Acer eques, Mauris funera quanta dabit!
Non hunc Centauri poterunt æquare bimembres;
Audebit spatio vix avis esse comes.

Cillarus inferior, minor uno hoc fulgidus Æthon,
 Sidereas doctus luce fugare faces
Talem animo, dextraq; virum, Nasamones, & Atlas.
 Vltimus horrebunt, Memnonidumq; solum,
Rauracidæque licaonii, & quos orbe reposto,
 Abdit hyperboreum, trans cynosura ciclum,
Et si sors sineret, foret utraque regia Solis,
 Sauromati getica sub ditione Ducis.
Ast heù Marti animam tantam, jubar auferet orbi,
 Perfida sacrilego Saga ministerio:
Ah pereat, quæcumque sonos, seù pocula nectit,
 Æmonis ut reges carmine mactet anus;
Sed lætare Petri tutissima cimba, nec umquam
 In medio timeas sollicitata freto.
Illa dies veniet, quo Regum clara propago
 Austriaci & Daci, conferet arma simul:
Lucifer exurget, quo non præclarior alter
 Sanguineas Lunæ dedecorare genas,
Vos gemini Soles, Vos ò Leopolde, Joannes
 Præcipitate moras, fœdus inite Duces
Evenient. O' quot strages, quot funera cerno!
 O' quot Turcarum corpora jacta fimo!
In Germanam aciem, cupiens vitare Polonam,
 En Mecchea cohors incidet unde ruat!

Quis

Quis cladem tantam, fluidoque cadavera tabo
Explicet? absorptos, quis numerabit equos?
Qualiter Autumni silvis, sub frigore primo,
Ad reditum Boreæ frondea turba cadit:
Sic ruet armatus transfixo tergore Maurus,
Mordebit moriens sic Asianus humum,
Heù, heù, quot spoliis stygius ditabitur Orcus!
Quot de Tartaricis, tartara regna petent!
Vix poterunt, triplices (dextra properante) Sorores
Rumpere vitalis, pendula fila coli.
At benè digna luet turgentis præmia culpæ
Austriacas ausus, igne cremare plagas
Arduus imponat Riphæo Pelion Ossæ
Ægeon: Addat Taurica saxa Gyas
E' supero tandem dejecti fulmine, montes
Vrunt Trinacridos, solaque busta manent:
Gloria magna tibi, Divorum maxime Dive,
Qui Pater INNOCVI, nomen & omen habes:
Auspice te, Scythicum Pietas descendet in orbem,
Parebuntque tuis sidera flexa sonis
Tè duce Theutonicus, Venetus, sociusque Polonus
Bella ferent terris, bella ferentque mari,
Queis victus Metanasta jugum cõfringet iniquum,
Pannonioque fides surget avita polo.

Has, aliasque vices rerum, sortesque futuras
Reddebat, dextra cælite scriptus apex.
Tunc Cyrillus ait; mihi fulvo carius auro
Argentum, è Cœlo tu mihi munus ades
Carmine conscribam, venturi tempora sæcli
Post hæc in calicem, thuribulumque flues.
Dixerat: Vt monuit supero Paranynphus Olympo
Inchoat orsa Pater, nec mora complet opus.
Sed jam tempus adest ad littora vertere proram;
Fessa est longinqua nostra Thalia via.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. ANGELI.

*C*Antura Aonis, angelicam vitam Angeli, inter Carmeliticos Angelos Seraphyni; poetico oestro suprà se erigitur, suique ingenii alis, super Cœlos evolat, audacique cursu, Angelorum excurrit limina. Aspicit Aligerorum exercitum, in tres distinctum Hyerarchias, lustratque unamquamque, in tres repartitam choros: Rimatur insuper, uniuscujusque chori munera, & dum supremum attingit; en unus de Seraphym, suis ab alis plumam vellit, tribuitque pro calamo, quicum, Musa, fastos Angeli Carmelitæ, æt rnitati commendare posset. Paret Musa, excusso timore, incboatque sic vitam Angelici Herois.

Fuit

Fuit Angelus, ab Angelorum Regina Mariæ, angelico ditatus nomine, quæ suis parentibus Jerosolimis immorantibus aperuit, nascituram prolem, angelico nomine velle nuncupari. Fauori huic sidereæ Imperatricis, non defuit ejusdem auxilium, ut puer angelicam vitam aggrederetur. Infans, nisi necessitas exigeret, è Matris uberibus lac non sugebat; sic deinde toto vitæ curriculo, carnibus, lacteis dapibus, & Baccho abstinens, modicę Cereris frustulis, purique fontis aqua utebatur. Humi lodice una substrata, tenuissimo somno indulgebat, artus innoxios, ferreæ catenę mancipabat, nec non durissimis flagellis cruentabat. Orandi studio sic deditus hęrebat, ut extrà horas contemplationi dedicatas, quę erant longissimæ, etiam vocalibus precibus saturari non posse videbatur, quippe ultrà quotidinianum pensum, canonicę psalmodię, totum Davidis psalterium genuflexus absolvebat. Non secus ac verus Baptistæ imitator, semper abditos nemorum recessus quærebat, ut Mundo latitare posset, solique Deo cuncta intuenti placere: At Dominus singularibus illum charismatibus, esse refertum, demonstrauit: Quandoquidem Elię, & Eliseo ejus

paren-

parentibus persimilem in patrandis miraculis effecit. Ferrum enim securis, quod exciderat ab hasta cujusdem coloni, scindentis ligna, natare fecit super aquas. Fluvium Jordanem immodicè turgidum, superque ripas exundantem, defervere jussit, & tamdiù sistere, ut cum suis comitibus, aliisque septuaginta viris, arido vestigio peragraret. Evocavit de Cœlo flammas, ad Saracenas carinas exurendas, quæ Christianorum liburnam invadere ausæ fuerant. A spiritibus immundis pressos, magna virtute liberavit, & claudos, orbos, surdos, innumerosque à variis languoribus vexatos, saluti restituit. Aliquando defunctum Bethelemitem biduanum, sui pallii contactu suscitauit; alibique sex jam mortuos, ejusdem pallii virtute, vitalibus auris vesci impertiuit; Septem immundos lepra, mundauit, illisque geminam tribuit salutem, tum corporis, tum animæ; nam ex luridis peccatoribus, candidos effecit candidatos, Deo conversos. A' Christo monitus, ut Siciliam versus, iter arriperet, sua obedientia, per viam innumeras Domino lucrifecit animas. Romam appulsus à Sancto Francisco Assisinate est agnitus, interque mutuos amplexus, Angelus sui martyrii ab eo prædi-

prædictionem accepit; E' contra, hic, Divo Francisco stygmatum impressionem prophetavit. Demum in Insulam Trinacriam appulsus, descendensque in Leocatæ Vrbem, magno fervore divinam aggreditur prædicationem. Interim, dum nefarium hominem objurgat, qui publicè cum Sorore, vitam incestuosam raptabat, à Sicario illo immanissimo, præ dolore conversæ sororis ad Deum, in media concione, quinquies pugione transverberatus est; Christum deprecans in illo actu pro occisore, in illis verbis in te Domine speraui, animam suo Creatori, & Domino reddidit. Ejus spiritus sub specie candidissimæ columbæ visus est Cœlos aduolare, & auditus est concentus Angelorum, dulcissimè personare, gestantium animam Angeli ad orbem Empyreum. Nunc triplici laureata aureola, Virginis, scilicet Doctoris, & Martyris inter Angelicos cætus æternum est triumphando regnatura.

CARMEN XVIII.

MAgnum iter: Empyreas proficisci cogor ad oras

Plumea, quà superũ nat per inane phalanx.

Ite

Ite meæ mentis (patet æther) ite volatus;
Quisnam animo poterit nectere fræna meo?
En ego, per picti proscenia vitrea Cœli,
Angelicæ ingredior, tecta beata plagæ.
Pennigerum cerno genus, armipotentis Olympi,
Sunt ubi per trinos agmina trina choros.
Munera plumiferis tribuerunt nomen Ephæbis:
Dum certo cunctos ordine, jura manent
Est acies, quæ prima patet, terrisque propinqua,
Quam levis ætheræ sustinet arcis onus!
Subsequitur custos hominum ceù fidus Achates;
Sed movet æterno (tertia) sæcla gradu.
Præsidet huic genti, gens altera proxima primæ,
Cui opus est nullum, non labor ullus adest;
Namque animis tantùm tendens, fines sine fine
Visere, &ætherei sceptra Tonantis avet.
Hanc inter, sunt qui Diam dominantis adorant,
Et nova mirantur semper ad orsa manum.
Ast aliqui quam longè acuunt per sæcula luces!
Hos non ulla Dei provida cura latet.
Prospiciunt alii, Monadis quam lata potestas!
Pectore nam Domini mystica jussa fovent.
Tertia sese offert acies, sed in Æthere princeps,
Sidereo ternos ordinat orbe choros.

Plenior his hauſtus, Divumque cupido tuendi
    Gliſcit, & immenſo fomite corda rapit;
Verum illis melius, queis dat ſapientia, fontem
    Lucis inhexauſtum mox jubar unde bibant.
Ultimus ætherei cuneus dum Numinis ora
    Proximiús luſtrat, flagrat amore magis.
Stat potator amor, nullo ſatiabilis ævo,
    Si ſemel accenſam lampada, ſemper alit.
Dum ſuperos meditor cives, Paranynphus Olympi
    De Seraphym vereor; ni Corypheus erat:
Alifero niveam rapuit de tergore plumam,
    Et mihi non nota talia voce tulit.
Hanc cape: ſurgat epos:ſit carminis Angelus Heros,
    Angelus Eliæ Vatis, imago patris.
Hoc fretus calamo, faſtos ſcripſiſſe decebit,
    Martyris angelici: Tu modò juſſa cape.
Non te, quod tenues fundat Polyhymnia fontes
    Terreat: haud tutum ſit renuiſſe Deo
Invalidum robur, nam ſuſcitat, & juvat idem;
    Cur te velle negas, velle quod ille jubet?
Ipſe ego flammigera mundavi forcipe Vatis
    Amoſidis labium, redderet undè ſonum;
Porrigo nunc calamum, valeas quo pingere geſta,
    Nomine ditati, Virginis angelico.

Quan-

Quandoquidem cælebs, non tantum nomine, ſed re,
Angelus, Aligerûm devocat obſequium.
Dixerat, & tantis mea mens conabitur impar,
Neſcio quod juſſum ſurgere ſentit opus!
Sponte ſua tenui veniebant carmina vena,
Aonios fudit ſicque Camena ſonos
Angelus æthereæ celeberrima pompa Sionis:
In Solima, vitæ prima fluenta bibit.
Illi Virgo dedit cœleſtia nomina, quando
Non poterat ſterilis pignus habere parens
Augurium Fęlix, Maria ſic velle vocari;
Protinus Angelicas pectore ſentit opes!
Infans, obſcuro Matris vix liber ab alvo,
Subtracto labris ubere, membra domat.
Non ſecus ac teneris primordia ſumpſerat annis,
Inde Gygas, Chriſti currere novit iter.
Feſtinus, ſæcli ſpernens pereuntis honores,
Ardet Carmeli ſcandere clauſtra puer;
Nam timuit ſtygii technas, rabiemque Moloſſi;
Hinc amor eſt, ſanctos incoluiſſe lares.
Quis referat nivea tunicatum veſte puellum?
Qui facie candor? ſyndone qualis erat?
Albior haud getica nix eſt concreta pruina,
Candidior preſſæ, non pluit imber ovis,

Sed nec hyberboreo magis albet Parrhasys axe
Flectit ut Arctoos nocte micante boves
Angelus, angelicum sibi vivere concipit ævum;
Concipit humanis illecebrisque mori;
Carnibus ah vesci refugit, refugitque capellæ
Mandere, sub pleno lecta colostra cado
Olli parva Ceres sat, sat de flumine potum
Lambere, sat duro nocte cubare solo;
Ferrea pungentem torquis fabrefacta per irim;
Sed teneram morsu dat laniare cutem.
Princeps cura, Deo prece desudare perenni;
Limitis hic expers, cor jaculatur Eros
Sivè novo terras lustraret lampade Titan,
Titan Eois astra fugatus equis:
Seù nox sidereo descendens humida Cœlo;
Deciduam nigro, mergeret amne diem:
Semper ad æthereos animus volitabat amores,
Semper adoratum mens iterabat iter,
Quale solet glebas volucrum regina palustres
Linquere, & alarum remige, nare polos;
Sic suus, ad patrium genius peragrabat Olimpum;
Spernens terreni putrida stagna fimi.
Lucus erat, sacro claustrorum pariete septus;
Juxtà cum lauro virgine, mirtus adest,

Ange-

Angelus hùc properās, hominum commercia fugit,
Hùc potuit, Numen quærere corde ſuum.
Sæpè cedros, coryloſque cavos, interque cupreſſos,
Auribus hæc Echo, verba reflexa tulit.
Creſcite fœcundam ditantia germina Floram,
Vos ò, Dædalei creſcite veris opes
Flate, reflate precor, dulces Zephyritidos auræ,
Conjugis hæc inter roſcida prata Deæ.
Vos quoque Najades ut gliſcant, murmure leni
Vicinum vitreo fonte rigate ſolum.
Ipſe ego, vos juxtà meditabor cælica: quando
Me ſuper, è veſtris floribus aſtra petam.
In te, purpureos Auguſta renacta decores
O' Roſa, quam florum cætera turba colit:
In te Reginam mox contemplabor Olympi,
Myſtica ſidereo quæ micat axe Roſa.
Tu ferrugineis Hyacinthe comis, mihi ſignas
Invictos ſpreto mortis agone Duces.
Attamen æternúm præcordia floſcule raptas;
Noſtraque te circúm, mens volat inſtar apis:
O' Granadille: ſacri qui fers monumenta doloris,
Numinis & folio fata ſuprema notas.
Quadrifidū duplici monſtras ſub margine Truncū,
In medio, rigidis ſpinea ſerta rubis,

Hinc,

Hinc,atque hinc,fasces sparsamq;cruore columnam,
    Illita mordaci pocula felle geris.
Immanem referas, cataphracti militis hastam,
    Et triplici chalybis cuspide germen habes,
Caudice sanguinei rutilant simulachra fluenti,
    Murice quo dives, ditior esse nequis.
Hac Ego, non oculos alia satiabo figura
    Scrutans Nazarei fissile corpus Heri,
O' si quæ foliis præfers, & vulnus, & ensem
    Possem pro Domino vulnus & ipse pati!
Quàm lætus foret ille dies, si funere funus
    Continget! si mors morte! cruore cruor!
Vive diù fęlix, nostri solator amoris,
    Floscule vivè diù, fletibus aucte meis,
Et suspirantis fęcundus pectoris aura,
    Spe viridis, tantæ sortis honore ruber.
Intereà patulas inter quercus, terebintos
    Inter silvestres, vivere mi sat erit.
Angelus hæc: signis at Numen detegit illum;
    Nam vetuit tantam nube latere pharon.
Prima fuere precum portenta verenda suarum,
    Fons ubi Thesbitis, proxima rura rigat.
Aspera silvestris cædebat ligna colonus,
    Labitur, & chalybem suscipit unda gravem

Quæ-

Quæstubus hic cœlum replet, dum gurgitis alveo,
Prolapsum ferrum delituisse videt;
Sed precibus Divi, pulsa gravitate securis,
Aspicitur medio desuper ire vado.
Non hæc mirandæ finis spectacula dextræ
Æquus Heliseo filius ecce Patri!
Curvus inundanti torquebat vortice silvas
Jordanes, gremio nec capiebat aquas.
Spumeus aggeribus ruptis, huc flexerat, illuc
Amnis, desuetos per nova stagna gradus.
Nulli aditus, iter omne suis occluserat undis,
Nullaque trans ripam spes posuisse pedem
Mira fides: Heros, magna stipante caterva,
Tramite deflexas sistere jussit aquas
Jussit ut: extemplo Jordanidis unda recurrit
Lenius, atque animi detumuere feri.
Sic tacito mites requierunt murmure fluctus,
Ut placidæ credas esse paludis aquas:
Mox se se in bifidum, patefacto gurgite pontem
Exeruit: latam quà dedit inde viam.
Cernuus in clivi faciem, circumstetit humor,
Inscius, innatos ad mare ferre gradus,
Accepitque sinu venientes, & pede sicco,
Sexdeni fluvium transilire viri

Obri-

Obriguit ſtupidus Jordanes: Sed magis Afri
 Obſtupuere maris gurgite Nereides:
Tùm, cùm verrebat placidi ſalis æquora puppis
 Chriſtiadum: Nautas Angelus inter erat.
Liquerat Ortygiæ portus, Cycladaſque propinquas
 Pinus, Erythreum traiicienda fretum.
Improviſa venit, fluctuque, æſtuque ſecundo
 Lothophagum claſſis, gens inimica Deo
Impulſum remis ſtrepit, & diſcinditur æquor,
 Invadunt fidam barbara lina ratem.
Vocibus innumeris miſcent cava timpana: more
 Acriſioneo, ſtridula tela vibrant
Cruda venenato contorta phalarico ſucco
 Proſequitur, ferri ſeva procella furit.
Harpagonis retinent aggreſſam dente carinam,
 Ne det velivolam mobilis aura fugam
Quid nunc Chriſtiades? lethum, ſeu vincula ſperas;
 Ni velis æquoreæ Thethyos, eſca mori:
Tu tamen haud pavitas, & toto vertice ſupra es
 Angelus, in Poenos ſic ais ipſe Canes.
Heù genus inviſum: legi contraria noſtræ
 Reproba gens, ſtygio debita præda Jovi:
Tanta ne vos tenuit rabies temeraria? Vultis,
 Noſtra fluentiſono mergere roſtra vado?

Vos

Vos ego nunc perdam demiſſo cœlitus igne,
Ardebit Lunæ, fax populata trabes.
Icario ſimiles eritis, (non fabula) fato:
Eja age vos media fulmen adurat aqua.
Dixit & ignitus delabitur æthere nimbus,
Spiſſaque præcipitat vindice flamma polo.
Non ſecus ac campis crepitans pluit horrida grādo,
Quæ crebri cultam verbere lædit humum,
Sic levis immixto deſcendit ſulphure fomes,
Quàque cadit, pinos fervida tæda cremat;
Nec proſunt latices, infuſumque abjete pontus;
Quin magis, accenſam concitat unda picem.
Olli deſiliens tantùm fax axe pepercit,
Cui juvit falſam deſeruiſſe fidem.
Prodigium geminum! geminam tribuiſſe ſalutem,
Angelus, & geminam ſcit tribuiſſe necem!
Poſt hæc egrotos alibi curavit, ut illos
Expertes ſcelerum comperit eſſe ſatis.
Septeni fuerant iterato crimine ſontes,
Et ſeptena gravis corpora lepra ferit.
Bina ſuper miſeris peſtis, dupliciſque timebant,
Corporis, atque animæ, currere mortis iter.
Increpat hos Divus, ſtygiique timore barathri
Territat, ut noxæ pœnituiſſe velint.

Illos flere juvat monitis, & lavere ſordes
    Planctu, per tepidas proſiliente genas;
Nec non, ex imo ſuſpiria fundere corde,
    Fidere tundenti pectora nuda flagro:
Quos ubi converſos vidit, fluvialibus undis
    Siſtit, & in vitreis corpora terſit aquis:
Non citius juſſis elephantia fugit Heliſei:
    Cum lavit fluvio, lurida membra Syrus:
Angelus ut properè gliſcens de corpore virus
    Diluit, & primo reddit honore cutem,
Quæque caro putri fuerat maculata veneno
    Albet, hyperborei montis ut albet apex,
Sed quid ego hæc memoro? fragilē Libitina pharetrā
    Sentiit ad voces, fractaque tela ſuas!
Urbs ubi Phœnicum populos, interq; fluentem
    Jordanem eſt: patrio nomine Bethlemidos.
Truncus iners aderat, præventus morte colonus,
    Sarcina Sandapilæ credita funereæ,
Ut putrem fundit pheretrum lugubre mephitim!
    Vix cylicum tota meſſe fugaret odor.
Quæ tumuere, genas ulcus depaſcitur! ora
    Vermis edit! gelido corpore membra labant!
Ipſa ſibi pondus cervix, humeroque receſſit!
    Labitur in fœdas, alvus inanis aquas!

Exa-

Exanimes artus, macies populata, frequentem
    Largitur tineis in latus omne dapem!
Corpus erat, geminæ jam lucis muneris expers,
    Qaliter ex Hemo præcipitata silext;
Non tamen hoc Parcæ spolium, am turpe cadaver,
    Parere Angelicis denegat imperiis.
Cernite! proh quanta est oculis infusa voluptas!
    Cernite! quale novum lumina mulcet opus!
Quid non Divorum molitur rara potestas?
    Unica Persephones, vox rapit exuvias.
Debitus inferiis redivivus vescitur auris!
    Angelus est mortis vincere sceptra potis!
Artubus ut pallor glacies inferna recessit!
    Ut tulit Eoos lux revocata dies!
In tenero paphius vultu, subridet Aprilis,
    Mixtaque liliolis est rosa nata genis.
Igneus exanguem cordis calor, occupat arcem:
    Quà redit ad vitæ fluxa juventa vices.
At non ista fuit major tibi gloria Dive,
    Maximus ille fuit, sanguine partus honor:
Tunc te de Seraphym fax illa probavit amoris
    Angele; cum est emptum morte, perenne decus.
Nunc age laurigeris super ingere serta coronis
    Pieris, in nostro pollice crescat ebur:

Grandius Aonio gliſcat cum pectine carmen,
Altius ut meriti ſurgit honoris opus.
Jam Divi monito, Rhodiis ſucceſſerat undis;
Eliades, Siculas & ſuperarat aquas;
Anchora littoreas, ubi decidit inter arenas,
Trinacrias Heros, itque, reditque plagas
Quà graditur, fuſis ſequitur pleniſſima rivis
Gratia, ſidereis evolitata choris.
Irrequietus amor peregrinas viſere terras,
Idem per viſas dat remigrare vias!
Intereà ſpargit cœleſtis, ſemina verbi,
Et fit ſidereæ quam citò meſſis hérus:
Ethnicus inſipiens, odit ſimulacra Deorum;
Luſtrales nudo vertice, poſcit aquas
Nuſquam eſt aula Jovis: patriis depulſus ab aris
It Mavors. Veneris marmora nulla patent.
Amittit turres Cybele, Cyllenius alas,
Ignes Veſta, roſas Flora, Priapus agros:
Ipſeque Chriſtiades, ſpoliat ſua corda veterno,
Et ſuperis placita ſedulitate fovet.
Eſt humilis, qui nuper erat turgentior æſtu;
Deſinit accendi, cui comes ira fuit,
Quem non dedecuit, cyprio dare lintea vento;
Jam ſervat niveum vertice mentis ebur.

Eſſe-

Efferus in socios, miti fit mitior agno;
Qui tigris fuerat, cana columba nitet.
Qualiter evolitans perlabitur æthera nubes,
Quàque meat, multo Juppiter imbre cadit:
Non aliter gressus quò dirigit ille; salutis
Cœlestis riguo depluit amne Charis.
Tandem, Sicelidos parvam pervenit ad Vrbem
Leocatæ nomen, turba sicana dedit
Hic erat, heù facinus, Fratris, conjuxque, sororque
Fœmina, flagitio famigerata suo!
Credo equidem, pavidis tremuisse boatibus Ætnam,
Incęstus tulerit, cum grave fama nefas.
Hos igitur contra, ruit Angelus ore minaci,
Ambos Dęmonii, bis monet esse reos.
Ancipiti linguæ gladio, nunc territat, & nunc,
Ad superæ fœdus pacis amore vocat,
Vsque adeò exarsit sacri facundia Verbi;
Oderit ut vetitos victa puella thoros.
Illa quidem, Fratris scelus aversata, nefando
Se rapit amplexu, fędaque tecta fugit,
Sanguineo vellet crimen mundare fluento,
Et noxam vellet morte piare suam.
Jugibus hinc lacrimans humectat fontibus ora,
Assiduo tepidos, & rigat imbre sinus.

Quale

Quale ſolent, afris liquefieri flatibus alpes,
Cum calidos æſtas attulit orta dies.
Non ſecus, in gemitus exolvitur illa perennes,
Quos ima genuit pectoris arce dolor.
Sed Frater, jam non Frater, ſed Dytis Enyo,
Fert ſilices animo, fert adamanta fibris
Sævior hircanis tigribus, blaſphęmat Olympum,
Spargit in aligeros impia dicta choros.
Conjugis amiſſæ ſimul, amiſſæque ſororis
Cuſpide punctus amans, bella quot intus alit?
Nam pharetratus amor, tota vi lancinat artus,
Vt furor intortis ignibus oſſa cremat.
Sic reor Alcides, furiis agitatus, ad Oetam
Illita Neſſeo texta cruore tulit.
Solari tandem curas, morboque levamen
Ferre putat, medicum ſi necet innocuum.
Ipſe luas meritas dixit ſtygis Angele pœnas:
Nunc tua nex noſtris ſit panacea malis.
Dixerat: arrepto traſverberat enſe, loquentem
Jura Dei, ſacri liminis ante fores.
Ter gladio pectus figit, ter acinace coſtas
Findit, ter madidúm ſangine, ſternït humi.
Collapſum aſpiciunt omnes, ferrumque cruore
Expumans, medio pectoris oſſe ſtetit.

Is mo-

Is moritur; ſed dum moritur, ſic aera mulcet,
Proximus ut morti, flumina mulcet olor
Atque ait ò Superûm Numen, miſerere necantis,
Interfectori parcere Dive, precor.
Protinus exanimem lux circumfuſa recondit;
Lapſa reor ſupero cardine, lampas erat.
Acclinat famulum morienti lumina Cœlum,
Exhibuere ſuas, ſidera prona faces
Spiritus in niveæ ſpeciem petit aſtra columbæ,
Quem ſtipant ſuperi plumea turba Duces.
Auditus Divûm pictis exercitus alis
Ex Æthra feſtum perſonuiſſe melos;
Hauſtaque de buſto, ſpirans & odora voluptas
Aura, vaporata ſuavior ambroſia
Sic obiit Virgo, Martyr, Doctorque triumphans:
Æternumque comas laurea trina teget.
Fas erat Angelico, ne cętu longior eſſet
Angelus, ut patrium ſic remearet iter.

ARGV-

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. SIMONIS STOK.

Temporibus lætis, subsequens carmen exaravit Author, quandò scilicet, ne dum Tarpejus apex, sed totus Christianus Orbis festivos lætitię ingeminavit plausus. Fęlix planè dies, in quo redux Britannia, Christi avitam fidem amplexa, legatos ad pedes Sanctiss. Pontificis Innocentii XI. misit. Laus fuit hæc clarissimi Regis Jacobi Stuardi, nec non & laus memorati Pontificis, qua tempestate fractam vidimus Othomanorum superbiam, & floridissimum Angliæ Regnum Dominico gregi fęderatum. Nunc heù dum hęc scribo, temporum vicissitudo, & mors Sanctissimi Papæ, effecit, ut iterum Turcica cer-

vix; contra religiosissimum, & invictissimum Cæsarem Augustum, Leopoldum Austriacum insultaret. Effecitq; simul, ut Anglica corona à Catholica religione exultaret; sed vivat Deus immortalis! Non desperant Christiadæ, tam Bellogradum è Mosulmani rostro reacquirere, quam denuò Angliam, olim tam Cruci benemeritam, Evangelicæ fidei, portas reseraturam. Et ò Utinam, tanta lætitiæ spectacula, fideique incrementa, non nostræ posteritati, sed nobis paret miserationum Pater ex precibus S. Symonis Stokhii. Quidquid tamen sit de divino beneplacito, statutisque temporibus; Authorem profectò, enunciata lætitia impulit, ad Anglicas laudes concelebrandas, & pro suo instituto, carmen S. Simoni Stok Anglo dicaret, præcipuo nostri Ordinis Coriphæo. Fuit Simon Stokhius Religionis Carmeliticæ, & decus, & columen, qui Cantiæ in Anglia ex nobilissimis est ortus Parentibus. Vix annum attigerat duodecimum; cùm relictis liberaliorum disciplinarum studiis, spretisque Mundi pollicitationibus, latebras solitarii recessus, est ingressus. Ibi mortalium commercio sequestro, totum cælesti se tradidit dulcedini. Eo in luco, aeria tollebatur quercus, quæ annorum vetustate, con-

cavum quasi domicilium in trunci viscere effecerat. Hanc introgressus sanctus Juvenis, animum pascebat sidereo nectare contemplationis; & quò corpus parciùs terreno cibo alebat, eò uberius cœlesti ambrosia recreabat. Modicus cibus, quando parabatur, agrestes erant herbæ, radices, vel poma silvestria nullius dulcoris insita industria. Potus erat, aqua frigidissima, apta potius membra obrigescere, quam vitam fovere. Hujus tamen ævi duritiem, aliquando miserationum divinus Pater, mollibat famulantium Canum ministerio, qui officiosè statutis temporibus, frumentitias offas afferebant, queis corpus refocillare posset. Somnus erat tenuissimus. Rivus lacrymarum, ex oculis fluentium perennis, & super suspiriorum alas ad Cœlos anima assiduè volitabat. Terga spinosis flagellis sauciabantur, totumque corpus in vepres sæpè, sæpius involutum, spiritui subiicere addiscebat. In tanto vivendi rigore, en divino monitus consilio, Ordinem Carmelitarum Beatissimæ Virginis Mariæ ingreditur, qui tunc in Anglia mirificè elucescebat. Profecit adeò Simon, in monastica disciplina, ut brevi omnium virtututum, appareret nitidissimum speculum. Floruit

ruit etiam Theologica doctrina, cui in Religione studuerat, & illius laurea decoratus est. Hinc explicari nequit, quantos, sanctitatis, & litterarum gratia, fructus collegerit: Certum est ab ipso, immensam animarum Deo esse partam messem. Miraculis insuper fuit illustris, & fatidico spiritu eventura prædicebat. Morbi omnes, medicaminibus non cedentes, suo imperio ab infirmis corporibus exulabant. Coctos mullos oblatos à suo Germano, ut illius experiretur temperantiam, vitæ restituit. Aquam crucis signo in vinum convertit, deludens Satanæ astus, qui Simoni in altare litanti, callida arte aquam pro vino commutarat. Verumtamen præcipuum decus nostri Sanctissimi Patris, fuit, quod eo deprecante Deiparam, ut Carmelitarum Ordinem, pre ceteris speciali tessera decoraret, discerneretque ab aliis, singulari aliquo privilegio, & genuino amoris signo: apparuit illi Cœlorum Regina innumerorum Aligerorum stipata aciebus, porrigensque ordinis scapulare, quod in manu gestabat dixit: Hoc erit signum tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quod in hoc piè moriens, æternum non patietur incendium. Insuper serenissima Virgo privilegium

ſabbatinum illi adaperuit: quatenus primo Saturni die, ipſa Mater miſericordiæ animas, quę piaculari igne purgantur, ſecum ad æternam beatitudinem transferat, quæ in vita, porrecto ſcapulari fuerint indutæ. Mihi etiam perſuadeo, venturum genus Sanctorum Carmelitarum, tam ante, quam poſt reformationem Divę Theresię, illi ſignificaſſe, futuramque progeniem liberorum, adeò ſibi caram pręnumeraſſe. His Simon locupletatus chariſmatibus, cum prępoſitus Generalis, ordinem ſanctiſsimè gubernaſſet Isleſordii mortuus eſt clarus miraculis tam antè quàm poſt mortem. In ſequenti carmine effunditur Muſa ad deſcriptionem Mariani adventus, porrigentis noſtro Heroi ſcapulare, nec non privilegium Sabbatinum, & futuram prolis demonſtrantis.

CARMEN XIX.

Terra diù Latiis minimè temerata triumphis,
 Oceani tumidis ſepta Britannis aquis,
Arctoum ſortita polum, quà Parrhaſis Urſa
 Flectit ad Occiduum frigida plauſtra ciclum.

Dic

Dic mihi quæ major ſurgat tibi gloria? numquod
Viſa ſit in veſtro gurgite nata Venus?
Quippè puellares ſic ambit gratia vultus,
Non hominum, potius reris at ora Deûm.
Numquod in his Mavors ferventior ardeat undis
Pluſque cremet medio bellica flamma freto?
Scilicet ad nutus inflantur claſſica: quando
Flat furor, armatas mille parare trabes
An mage, quod totos Nerei tibi regia, fluctus
Subdat, & indomitos ſub juga ſternat equos?
Quandoquidem te nulla latent commercia, bini
Orbis, Ameriacum verrere docta mare.
Fallimur: Exiguæ ſunt hæc præconia laudis:
Non tuus hoc parvo margine ſiſtit honos.
Anglia ſi neſcis, ſoboles numeroſa tuorum
Te decorat, nimium prole, beata virûm
Non tot Myrmidonas, Doloposve è robore prôpſit
Aluus Trojani concava quadrupedis:
Quot tu Semideos, Cœlo, terràque celebres
Enixa es, patrio tempus in omne ſinu.
Sed mea te Simon lira concinet Angelus, Anglus,
Addita ſidereis, lucida gemma tholis.
Non Ego nunc referam, qualem ſub ſtipite querno,
Te conſpexerunt delituiſſe feræ:

Cui

Cui Cererem ſtatis, per luſtra quaterna diebus,
Jejuno dederunt provida turba canes,
Vel cum flammigera roſtus, ſartagine piſcis
Supplice te, vitæ denuò currit iter.
Ipſe canam vellus, Mariani munus amoris,
Quod tibi ſtellifero detulit orbe Dea.
Tù modò Parthenice, Pindi da ſugere rores,
Nam de Virgineo non niſi rore bibo
Tempus erat, quo Sol oriens ex æquore, currus
Elevat, & primum colligit axe jubar.
Orabat Simon, verſis ad ſidera palmis,
Manabat tepidis lacryma ſparſa genis,
Singultuque pio, ſuſpirioloque profundo,
Hac tandem exorta provocat aſtra prece
O' decor æthereæ Virgo rutilantior aulæ,
O' genita ſolùm prole, Virago minor
Carmeli, Regina Parens Tutela perennis,
Qua Duce, qui eſt Chriſtus montis aditur apex
Si non vulgari nos amplexaris amore:
Si tibi delicium, tantaque cura ſumus:
Cur non affectus, genuina ſigilla recludis?
Hei mihi cur, grandis non reſeratur Eros?
Funde precor Charitum Mater, ſpecialia dona
Noſque tuam prolem, munera lecta probent.

Dixe-

Dixerat: Ex alto patefactis æthere valvis,
Adfuit ad Nati concita Diva ſonum.
Illam, quina acies giro comitatur ovanti.
Cœlituum manibus, ſunt lyra, buxus, ebur.
Credideras rupto deſcendere cardine Cœlum,
Aligerumque omnem precipitaſſe gregem.
Sub pedibus nutant ſtellati culminis ignes,
Et cum Phæbea lampade Luna ſoror
Hoſce tamen, propria ſuperat Thaumantide Virgo,
Non ſecus ac noctis lux præit orta jubar.
Sit mihi fas Muſæ, dios deſcribere vultus;
Exiguus noſtro ſit licet ore ſonus.
Aurea cæſaries olli, quæ colla relambens
Plus flavet, quò plus criſpa procella tumet.
Stat capiti textum radiis diadema, colores
Mille trahit, vitreas Sol velut inter aquas.
Vincit frontis ebur, concretas Alpibus undas,
Sunt ebenum, veſtræ lilia cana nives;
Heſperus at gemino lumen jaculatur ocello,
Nigrior in ciliis, Iridis arcus ovat.
Non occaſuram ſedem tulit ore venuſtas,
Nexa videbatur purpura lacte genis.
Candidior niveis eſt candida dextra liguſtris,
Talis amycleas candor obumbrat aves.

Hinc

Hinc albere reor didicit ſuper orbe galaxis,
Hinc albere ſuis Delia plena comis.
Quid loquar inſertam milleno ſidere veſtem,
Quæ fluidos agitat per Jovis arva globos?
Gemmea divinos velabat carbaſus armos,
Lapſa erat ad rutilos cærula palla pedes.
Obrutus obſtupuit Simon fulgore; ſed iſto
Diviparæ fugit mox hebetudo ſono
En Ego, Cælituum tibi de conclavibus adſum,
Prolis ad emeritas nil remorata preces.
Accipe laniferum dilectior Anglus amictum,
Qui pignus pacis, fœdus amoris erit.
Qui tibi, qui cunctis Carmeli Montis alúmnis
Teſſera ſit noſtri pacta patrocinii.
Dux Gedeon, de rorifero, ſeù vellere ſicco
Iſaciis retulit ſigna Tonantis, Avis:
Haud ſecus, hoc certæ vellus fert ſtemma ſalutis,
Emicat in terris lux, cynoſura mari.
Quē ſcapulare teget, Mariæ quoq; conteget umbra.
Ipſa Ego, præſidium, Dux, via, palma, decus.
Si feret hoc hoſpes, túmidos calcare Dracones,
Et poterit rabidas ſoſpes adire feras.
Quiſquis erit, ſcopulis, ſeu naufragus erret in undis,
Inveniet medio littus in Oceano.

Hic-

Hicque piò moriens ſomno, (rumpatur Erynnis)
Non Acherontæo decidet umbra ſpecu.
Plura loquar: Manes quos torrida pruna piabit:
Igne breves faciam ſuſtinuiſſe moras;
Quandoquidem primas ubi lux Saturnia cunas
Evehet, ipſa polo deflua, præſes ero
Hydrochous pellam tædas, geniiſque beatis
Solvam purgantis, vincula dura rogi.
Mecum ſtellatis ubi ſunt capitolia clivis,
Gens veniet, ſuperos gens hilaranda choros
Sapphyri cedent his propugnacula: pandet
Urbs quadra, biſſenas ex adamante fores.
Audiſtin noſtram maneat quæ gloria prolem;
Nunc age, venturum percipe mente genus:
Illuſtres animas, clara de ſtirpe nepotes
Expediam dictis, fata futura canam.
Ex quo ſub nubis ſpecie, mea fulſit imago;
Quà vaga Carmelus tollit ad aſtra caput.
Vena voluptatum mihi mons fuit, illaque tellus
Delicias animo præbuit una meo,
Et licet aerias dudum ſpatiata per auras,
Hauſiſſem vitæ lumina nulla ſolo:
Attamen æterna vivebam mente Tonantis,
Et non dum genitam me feriebat amor

In votis montana silex erat ergo: coronas
    Aptandas nostris progenitura comis.
Hinc tanto fulsit splendore propheticus ordo,
    Quo plus Phæbeæ non micuere rotæ.
Hinc Essena cohors, axis gens æmula castris,
    Hinc Recabita phalanx, plebs operata Deo
Æthere virtutum, ceù scintillantia signa
    Alternam Solis transiliere domum.
Et viruit Carmel, viret, æternumque virebit;
    Nam mage quam flores, germina dia geret.
Adveniet non longè mihi, Lilybea propago
    Albertus, Drepani gloria prima sinus.
Hic lux Trinacridos, divini flaminis æstu
    Efficiet gelidos incaluisse viros
O, quot de pharetra jaciet cœlestis erotos
    Tela! quot æthereas sparget ab ore faces!
Uberior nusquam centenis Ætna caminis,
    Ardua multifidos, mittet ad astra focos.
Vivens exuviis ditem viduabit Avernum,
    Deducet, Divûm post sua fata melos.
Subsequitur Virgo cui Angela nomen avitum,
    Eliadum numquam nomen inane Patrum.
Par erit Aligeris, animi candore nivali,
    Convenient rebus nomina tanta suis

Vidit

Vidit ut æthereo delapſos cardine Jacob,
Per ſcalam, Angelicos, ire, redire choros
Non ſecus hæc, ſcalam Cœlos pertingere cernet,
Qua Carmelitis fas, petiiſſe polos.
Portentum Charitis ſurget Francus, decus Arni,
Florentes Tuſcus flos, decorandus agros.
Monſtrũ olim horrẽdũ, ingẽs,& cui lumẽ adeptum,
Adjiciet baculus non titúbare pedes;
At lare Gallicio, cordiſque oculique tenebris
Depoſitis, niveus pectore Cicnus erit.
Alter io Miles! ſi neſcis ænea caſſis
Evadet capitis trux laniena ſui!
Septus ab his armis, arcem expugnabit Olympi,
Sidereas Gazas fur rapietque pius.
Naſceris Corſine lupus, ſic matris in alvo
Viſus; at Eliæ mox gregis agnus eris.
Tu Florentinos replebis odore novales,
Queis Floræ vernas Gratia cedet opes
Feſulei mora parva, nitebis Paſtor ovilis;
Cinget ſacra tuas infula ſponte comas
Tartareas ſedes, & caligantia Dytis,
Ad vocem cernam regna perire tuam;
Alta ſed Empyrei pandentur limina ſceptri,
Et duce te ſuperum quiſque ſubibit iter

Non ego te, magnis oriunda parentibus, umquam
  Prætercam, Nato Magdala cara meo
Dius amor, vacuum dorso coryton habebit:
  Illius ex arcu, tela tot ipsa feres,
Altera Bethanicis celeberrima Magdala terris,
  Nazareos nardi pixide, lota pedes
Par pietate tibi, procero par & amore,
  Sed tibi pulcher erit virginitatis odor.
Celsior his olim surget Theresia: quando
  Mons solito visus flore, virere minus.
Quale solet prato sitienti, deciduus ros,
  Ubere florigeras restituisse comas.
Sic veniet, priscum collis fultura decorem
  Auctura Eliæ germina, propter aquas.
Hæc érit intactus rastro, fœcundus at hortus;
  Nam pariet sanctum pronuba Virgo genus.
Virgineam prolem, quæ non mirabitur ætas?
  Trans Titana, suos diriget illa gradus
Proh quantum fœlix! victo dominabitur Orco!
  Procidet exutos ante Megera pedes!
Aliger an feriet tibi cor Theresia telo?
  Si feriet, rapiet, non dabit ille facem
Fax ubi? Mors ubi? fatalis Lybitinidos ensis
  Mellea divini cuspis amoris erit.

Victi-

Victima, Virgo parens, nimium, nimiumque beata,
Una Tonantis ades, filia, sponsa, nurus
Primus amor Matris, princeps & fructus Vmadę
Surget Joannes, Relligionis Atlas.
Hic, ubi Fontiberis Phæbus tumulatur in arvis,
Clarior Eoo, Sol orietur hyber
Crux illi nomen, Crux illi gloria. Tantùm
Sub Cruce dulce pati, sub Cruce dulce mori.
Sublimes alii rapientur ad aera, quando
Pręmia concipient retribuentis Heri.
Tollet Joannem suprà, furor entheus Æthram;
Quadrifidæ sonitum cum bibet aure Crucis
Post obitum, varia radiabit imagine corpus:
Credetur totus fulgere pelle polus.
Nicoleos veniet, Pataræi nominis hæres,
Heros Primatùm nobilitate ligur
Aurea despiciet regalis pondera Gazæ
Tùnc dives: cunctas cùm benè linquet opes.
Quot palmas, proprio sudore rigabit! adauctas.
Colliget, ad rastrum non minus apta manus!
Clamabit Ligur hic; usus procul este prophani;
Improba de nostro sit procul herba jugo.
Cædite, dum modico surgunt mala germina fętu:
Immensum peperit sæpe favilla rogum.

Sic

Sic loquar, extremas dum ſpiritus ebibet auras
Talia defuncti corporis oſſa ferent
Hæc ille: & viridi ſemper pingetur amictu,
Semper Carmelus florea ſerta feret.
Te quoq; Cantabricum vectet ſuper aſtra Dominicũ,
Fama, tuis nimiúm territa prodigiis.
Quà mare, quà tellus, & quà circumfluus aer
Volvitur, imperiis obſequioſus erit.
Te Duce, monſtriferis Germania plena colubris,
Accipiet priſcam, lata per arva fidem
Victa Palatinus convertet terga Bohemis;
Vivere vix adiget, calx fugientis equi
Colliget in vanum; Moravos, Svevoſq; rebelles
Rhenanus; fruſtrà ſigna batava ſocer
Vindice te: rapido mergentur ſceptra ſub Albi,
Ibit ad Auguſtos ſubdita Praga ſuos.
Numinibus cultus, reddentur Numina templis,
Fumabunt ſanctis thura ſabea pyris.
Proximus huic aderit Petrus, qui claviger alter,
Æthereas poterit pandere voce feras.
Seù volet horribili ſonitus effundere nimbo,
Seù placidum dulci ſpargere voce ſonum:
Sidereo ſemper mortales uret amore
Tartareos ſemper dilaniabit heros:

Hunc

Hunc non, Cardinei flectet sacra purpura cætus,
 Respuet ostrinis vellera tincta rosis.
Scilicet expertes terreni culminis: Æthræ
 Suscipit aula, leves quos peragrare videt.
Quæ non prona tuis solventur laudibus ora
 Joannes? Dii regia Solis avis?
Os tu diceris Christi, Chrisostomus alter;
 Auriferi torrens gurgitis unde fluet
Tam benè, militiam lingua rudiisse recentem,
 Quam calamo tabulas scribere, doctus eris.
Majus an eloquium, vel pagina nesciet orbis;
 Sic geminum parili lance, nitebit opus.
Extumulata, putri tabo tua corpora, numquam
 Marcescent: castis præmia digna viris.
Tu Bernardus eris Regum cognomine; nardi
 Nomine, stelliferi Regis odorus amor.
Conferet Assyrium frustrà tibi Medus amomum,
 Ambrosias cedet decolor Indus opes.
Huic manibus (genimen lectum) da lilia plenis,
 Cinge cytheriacis tempora cana rosis;
Tu sed hyperboreos facies ardere Triones,
 Divinam gestans, Galle Philippe facem
Hos vigiles Galli cantus, leo territus Orci
 Aufugiet, stygias irruet intus aquas.

Lili-

Liliferos campos, reddes cœlestia Tempe,
Appenninigenæ deditus usque viæ
Testis Arar, Ligerisque celer, Rhodanusq; sonorus,
Et quæ Lingonum Sequana, lambit agros
Quis nùnc Celtiberos Paulos, Placidosq; Polonos
Transierit? vitæ nomina scripta libro?
Quis te Sirenis proles, Mariane tacebit?
Seù maris Hadriaci Justiniane pharos?
Omnes Cœlicolas, omnes capita alta tenentes,
Quos non terreni culminis, anget honor
Vosq; quatergeminæ Catharinæ? bisgeminæ Annæ?
Et te Romuleo Clara columna polo?
Gloria fœminei sexus eritis; decus Æthræ,
Orbis portentum: Numinis unus amor.
Ast Ego, venturos si dinumerabo nepotes:
Cœli multiplices & numerabo faces.
Tu modò Stok, tantis animum converte triumphis
Atque memor sobolis, vellera nostra cape.
Fecerat his finem dictis, desponsa Tonantis,
Et petit aerias, venerat unde vias.
Plumea gens secum, citharis operosa juventus,
Dum comes it; fidibus carmina mixta canit.
Sicut oloriferi se tollens amne Caystri
Alituum superos advolat agmen agros:

Sic

Sic salit Angelicus sapphyirina limina cœtus,
Ocior Empyrea sistat ut arce gradus.
Qui tibi tùm Simon oculus? qui pectore sensus?
In toto nullus corpore sensus erat:
Ipse sed æquoreas potius metibor abyssos,
Delicias animi, quam memorasse tui.
Carminis hinc portus: meditetur spiritus ista;
Nam capit hæc meliùs gaudia, mentis apex.
Sic humilis modico cantabam pectine Vates:
Romuleus plausu dum ferit astra favor
Scilicet, ad Latias rediit teres Insula virgas,
Anglia Romanos sustinet ore lupos.
Ruffensis Manes, Mori pia plaudite busta;
Ad Patriam tandem, venit avita fides.
Vidimus innumeros populos, Procerûmq; Senatum
INNOCVI sacros, ante venire pedes
Divorumque diù simulachra resurgere strata.
Atque adolere piis mascula thura focis.
Laus Jacobe tibi, Regum Rex maxime, Christi,
Qui labarum patrio pandis in Oceano
INNOCVVS lavus summa tibi, qui legifer Orbis,
Vt redeant terris aurea secla, jubes:
Vobis Nestoreæ fatum det sæcla senectæ,
Dum mea suspenso carmine plectra silent.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ BEATI FRANCI.

BEatus Francus Converſorum pœnitentium Archetypus, primo ſuæ ætatis mane Eſau, lupus rapax, deinde vir, & ſenex, Jacob lenis dividens eſcas: in pago quodam Senarum, cui nomen Grotto ortum habuit. Hunc genitrix, ceù monſtrum informe, quod paulatim in hominem convertebatur ſibi eniti viſa eſt. Eventus, non umbram, non ſomnium fuiſſe, quod viderat oſtendit: Nam parentibus fato ceſſis, illicò omnium malorum fuit compos. Ille cruoris avidus, ſæpius innocentium ſanguine, manus fœdavit, ille aleæ luſor in Deum blaſphema eructabat verba; ille alienæ rei avidus ubi furari poſſet,

posset, clamue, palamue surripere, non erubescebat. At tanta inter probra à cœlesti Numine, oculorum lumine orbatus, vidit sua scelera, quæ videns nunquam aspexit. Hinc quasi somno excitatus, & cæcitatis pœnâ resipiscens, longas peregrinationes est aggressus, illam præcipuè S. Jacobi ad Compostellas laboriosiorem. Placuit divinæ miserationi in hoc templo lumen ademptum, Franco, ploranti suas noxas, restituere. Quà propter Romam rediens, mox Senas appulsus, vitam asperrimam in durissima solitudine inchoavit. Cingebat se ferrea catena, quæ ter femori revoluta, artus arctissimè mordebat. Spinarum fascibus, tergum cruentabat, totumque corpus sævissimis flagellis torquebat. Non semel hyemali tempore, in foveas frigidissimæ aquæ, se mergebat, quandoque etiam accensi carbonis, supra corpus ardorem sustinebat, & ad hos agones intrepido animo, pro tuenda puritate currebat. Dum sic strenuè pugnat castitatis athleta, apparet illi Beatissima Virgo, admonetque, ut Carmelitico habitu, quem ipsi demonstravit, quàm primùm vestiatur. Præcepta exequitur Francus; & dum à Superiore Cenobii Senarum, indui accingitur:

 defert

defert è Cœlo habitum Angelus, illoque, coram Fratribus, lætitia exultantibus indutus est. Mirum profectò fuit, quantùm in Monastica disciplina sub statu Fratrum laicorum, cœlestis suus spiritus acquisierit incrementi! Pœnitentia potius admirabilis erat, quam imitabilis; si quidem casside ferrea caput, æneàque lorica pectus, prægravabat, singulaque membra peculiari globulo æreo, angebat, sepiebatque. Verberum grando suo tergore ut moris fuit, incessanter pluebat, donec pavimentum sanguine rubesceret. Taciturnitatis studium sic excolebat, ut ne illius temeraret candorem, pilam plumbeam ore ferret. Ministeria viliora Monasterii, non solum amplectebatur; verum aliis præripere meritum quasi videbatur, dum omnia solus exequi conabatur. Crucifixi Domini visionibus, & supremæ Matris apparitionibus, sæpissime dignatus est; non tamen hęc charismata, illum extollebant, quin potius ob sui incredibilem humilitatem, animum deprimebant, non secus, ac arbor, quę quò fœcundior est fructibus, eò gravius humi inclinatur. Prophetico spiritu insignitus fuit, & multis miraculis, in vita, & in morte clarissimus extitit. Dum extremę vi-

tę

tę appropriaret periodo; Cęnobium Carmelitanum, fulgore maximo circumdatum, gens occurrens, & obstupescens aspexit. Ipse vero orans; spiritum per aquam, & ignem probatum, suo amabilissimo Creatori reddidit, & meliori fato felicior fur, parasidum rapuit: Exemplo splendor ille evanuit, & Angelorum concentus est auditus efferentium strenui militis triumphantem animam in Cœlo.

CARMEN XX.

Nunc te France canã; quamvis tua gloria lentũ
 Nos teneat, temerè nec sinat ire liram:
Orsa tamen capiam: Non ante piacula, semper
 Immanis mortem victima taurus obit;
Parva etiam magnum pacavit mica Tonantem;
 Et placuit modicæ fictile munus aquæ.
Incipe si quis amor Carmeli, pangere laudes
 Musa, licet lenem da sonuisse chelyn.
Est locus Italiæ gremio, cui Grotho Senarum,
 Ethrusci dederunt nomina prisca patres:
Alluit hunc, variis descendens collibus unda,
 Quæ sata multiplici vomere, culta rigat:

Parvus

Parvus ager; ſed dùm tribuit natalia Divo,
    Maximus in terris, & ſuper aſtra fuit.
Infantem paritura parens, ſibi promere viſa eſt
    Monſtrum, paulatim, quod modò fieret homo.
Eventu caruere diù non viſa parentis,
    Illaque nocturni non fuit umbra thori?
Quà primùm juvenile decus, ver contulit ævi:
    Criminibus Francus ſorduit innumeris.
Mox ubi defunctos vidit, Matremque, Patremq;
    Vicit Caucaſeas aſperitate tigres.
Ille maniplaris Gradivo miles adhæſit,
    Ancipitique ſuum veſtiit enſe latus.
Sæpè virùm valido pupugit præcordia ferro.
    Ah quantum Thuſci dextra cruenta fuit!
Pannonis haud aliter deſcendens ſaltibus urſa,
    Paſtorum gaudet cæde rubere nova.
Quid recolam, infandoſque modos, & barbara geſta?
    Quàm benè, vix hominis nomine, dignus erat!
Addidit his ſacram, qua non plus, fuſilis auri
    Ingluviem, votis ambiit eſſe Mida.
Hinc vigil armatus, per cæca ſilentia latro,
    Magnatùm valuit, depopulare lares,
Haud minus, agreſtes campos, violare rapina;
    Ruricolæque rudes expoliare caſas.

Illum

Illum si specula forsan quis viseret alta:
Protinus hoc trepido pectore, verba dabat.
Quilibet argentum concludat: quilibet aurum;
Occulet ut gemmas, alter, & alter eat.
Auferat hic messes; pretiosos ille lapillos,
Et quascumque potest claudere, opes
Callidus en rupta nummos qui surripit arca
Francus, qui rapta vivere gaudet ove.
Talia vociferans, vicinos quisque monebat,
Consulerent rebus, rure, vel urbe suis.
Ille tamen furto degens, consumere ludo
Gestit, quæ picea surripit omne manu.
Alea Numen erat, quassos & fundere talos
Unus amor, tali perdere sorte lucrum.
Accidit: Exiguis amiserat omnia punctis,
Congestumque mala perderet, arte simul.
Ille amens, oculorum acies, duo lumina frontis,
Exponit ludo, lædit & ore Deos.
Illico desiliit fulmen cælestibus oris,
Et facit è ciliis lumen abire duplum:
Usquè modò immane est mõstrum; cui fulgor ocelli
Demitur, & cæcum robore tentat iter.
Nec secus ac, quandam Poliphæmus, luminis orbus
Est mensus cæco littora nota pede.

Aspi-

Aspicis hinc, ut homo fiat caliginis expers!
Vt formam pulchro vestiat ore novam!
Francus ubi nudum se cernit lucis ademptæ
Munere; sic superos voce precatus ait!
Quàm meritas patior pœnas ò Rector Olympi!
Sum malè largiti luminis, usus ope,
Ritè supercilio, Titan abiit fugitivus;
Si prius justitiæ Sol, peregrinus erat.
Non ego, nunc oculis æternas ferre tenebras
Respuo; sed menti tù modò redde jubar.
Vt plangam mala gesta, mihi pupilla supersit,
Patratum plorem si scelus: Argus ero.
Dixerat; & voto longissima quærere templa
Se ligat; hinc ut erat stipite, prendit iter;
Et quà, famosas Hispania continet Vrbes
Ocius errantes dirigit ille gradus,
Obvia fit primùm celeberrima Barcino cæco,
Dives & ostrifero Tarraco, juncta mari
Subsequitur lævo generosa Valentia tractu,
Proximior Thetidi, vomere cultus ager.
Mox petit Augusti speciosam Cæsaris Arcem,
Sunt ubi Virgineæ fulchra dicata Deæ
Hinc per Aragonam, baculo vestigia sistit;
Vnde, Toletanas est potis ire plagas.

Tan-

Tandem præcipiti quod cursu tangit Iberus,
Compostellanum se tulit ante solum
Numinis hic ædes, hic surgunt sacra Jacobo
Mænia, Gallaicis sat venerata viris;
Nec solum Occiduis sunt hæc celebrata colonis,
Hæc quoque Taprobanes Incola, fana colit.
Constitit hic fessus, consumpto tramite Francus,
Hic lacrimans, multas fudit ab ore preces.
Mira fides: meruit frontis rehabere fenestras,
Vt pridem mentis lux, retributa fuit.
Sic Deus exactæ tersit fuliginis umbras,
Retrogradus Patriam visat ut orbus humum;
At Vaticanam primum contendit ad aram,
Posterius limen, collaterale Petro.
Tempestate illa, Gregorius Vrbis, & Orbis
Pastor, suprema sede, regebat oves.
Janitor hic Cœli, plenos effundere nimbos
In Francum voluit, queis pluit axe Charis:
Jamque Senas repetens Thuscos, finesq; remensus,
Contriti cordis, pignora certa dedit.
Musa flagellantem non te cecinisse pigebit
Divum, multifidi tergora nuda rubo.
Ante sacella, coramque viris, mediaque platea,
Lugebat fatuos præteriisse dies.

Dextera ſpinoſos faſces, manus altera ferrum
Geſtabat, plagis ſterneret unde ſtiam.
Vulnera quis numeret? nulli numerabile vulnus,
Vnum ſi totis carnibus ulcus erat!
Ænea ſed femori glomerata catena, cruentas
Fecerat hinc coſtas, fecerat inde latus.
Quilibet eſt flagris, chalybique obnoxius artus,
Omnis ab ærata forcipe, vincta cutis.
Intereà: gemino manabant lumine fletus,
Hæcque, ſui ſemper verba doloris erant:
Parce pium Numen, Cœlos quod fulgure terres,
Deque tuo partem fulmine, deme precor.
Parcite Cœlicolæ, tanto quos crimine læſi;
Parcere nam vobis eſt pia cura reo.
Incola parce, hoſpes parce, & vos parcite Cives:
Omnes vos uni parcere, laus, honor, ardor, amor.
Hæc ait: & ſummis reſponſant parcite clivis
Vallibus ex imis, parcite, parce, ſonant.
Sic Leo Marmaricas replet rugitibus oras,
Viſcera ſi nimiùm torret, aduſta ſitis.
At nunc unanimes migremus ab Vrbe Camena
Aſpicis! Vrbano limite Francus abit!
Hei mihi quam mæſtas aperit nunc ſilva receſſus!
Ille tamen præfert horrida teſqua, domis

Hic

Hic humus horret! ager squallet! nec prata virescunt!
Arboreis expers fructibus, horret humus!
Aspera glebosas infamat glarea terras,
Indignata, solo florida jura dare!
Non est, Thyrsigeri quà surgat gloria Bacchi!
Nulla vel exiguo palmite, gemma tumet!
Semper hyems! inclemens est hic semper Olympus!
Vix fluit à nivei pumice fontis aqua!
Vix datur excipiens fluitantem cochlea lympham!
Ah quæ sufficiat pocula testa vacat!
Verna latebrosos fugit hos Philomela recessus,
Ad mæstas solum frangitur aura stryges;
Attamen æthereum dum silva recondit amantem,
Hæc oculis præbet pulchra theatra meis.
Sic est inculti jaculantur lumina colles,
Gemmeus in quavis caute nitescit onix.
Ambrosius truncis, & saxis, lacteus it fons,
Mellea de quovis cespite, vena fluit.
Hæc meret aurifero proscindi vomere tellus,
Hosque rigasse volet, ditior Hermus agros
Si rigeant calui fruticosa cacumina montis:
Asperitas baccis pulchrior illa maris.
Quilibet hic tipho, gravidos fert nectare nimbos,
In geniale migrat ver, glacialis hyems.

Sic est: Vos silvæ, vos arbúta conscia scitis,
    An citò vestierit dumus & umbra decus:
Sit mihi fas, memorare piis quæ grandia silvis
    Sæpiùs acciderint; Tù modo Musa juves.
Inipiger ille stygis draco, qui per mille Meandros,
    Et totidem spiras, corda ligare studet:
Viderat ingenio, dio jam viderat oestro
    Hospitis, in superos antra migrasse lares:
Invidet: Acciri furvos ad Tartara Fratres
    Cogitat, ut Divo bella pavenda parent:
Non mora; mille dolos versutis artibus aptant,
    Quà feriant, paphia cor juvenile, face
Evomit infernos stygiis è torribus amnes
    Serpens, & quotquot monstra venena fovent.
Mitius Ætneo glomerantur culmine flammæ,
    Sulphureamque minus lampada, Phlægra tulit,
Quam Thusci circúm spatietur corde, caminus,
    Ex Erebo saliens, urere membra potis.
Quid faciat? qua se Francus custodiat arce,
    Ne magis Idalius devoret ossa calor?
Dic nemus, & mixto vos dicite pumice saxa,
    Quæ spectastis enim, nunc retulisse decet.
Illius in se se crudescit palma flagellans.
    Heù quot verberibus dorsa reclusa quatit!

Ilicet

Ilicet ostrino rorescunt imbre lacerti,
Suadet amor, flagris jungere sæpè flagra
Parciùs ærata teritur testudine, murus,
Parcius æquoreas arietat Auster aquas.
Mox ubi se tollit præcisa cacumine rupes,
Præpete visa super pendula stare petra:
Illic sentiferis volvit sua corpora spinis,
Et medio gaudet se laniare rubo
Lancinat hinc costas, plantas domat inde, nec ullus
Est locus, à densis liber acuminibus.
Sic facit, ut stygias extinguat sanguine flammas
Sitque iterum rhamni cuspide, puncta Venus.
Demum vallis erat gelidis obsessa lacunis,
Dirior hìc omni tempore, bruma riget;
Evolat huc, quò fossa jacet glaciàlior omni.
Heù pietas! solidæ membra maritat aquæ!
Ah quid agis? ventis hyemantibus ilia lymphis
France locas? nimiùm tu tibi France ferus.
Sit satis ad scuticas laceros flexisse lacertos,
Sit satis hamatos perpetiisse vepres
Vota cadunt: lubricas hyberno tempore crustas
Advolat, ardores perdat ut unda suos.
Vicisti: Lymphis ò costantissime flammas,
Et Venus unde orta est, repperit uda necem.

Tum

Tum ſuprema Parens, Virgo, delabitur aſtris
(Pugnantem ſupero, viderat illa throno).
Admonuitque, ſuos ut veſtibus induat artus,
Quas tulerat propria, ſplendida Diva manu.
Deſerit hic ſilvas, petiit Carmelia Tempe,
Qui regeret Fratres, hic Pater unus erat.
Dum ſpoliis Francus caret: Aliger evolat axe,
O' ſtupor! & propria fert tegumenta manu,
Queis citò protectus famulantia munera Servi
Suſtulit, indignum ſe magis eſſe ratus.
Quis referat quantum palatia Virginis intus
Virtutis durum currit Hetruſcus iter?
Semper erat cordi Nemeſis, ſeù ſurgeret Ortu
Sol, ſivè Occiduo mergeret ora vado.
Ænea cervicem caſſis, præcordia thorax,
Arctabat, nudum ferrea ſpira pedem.
Si glaciem Cœlo ferret Capricornus inertem,
Frigore concretis membra domabat aquis
Si tamen æſtivo Procion latrabat ab orbe,
Torrebat rabida corpora ſtrata face.
Nec requies ſpiſſis conſumere terga retortis,
Vnaque non ſomno cedere viſa quies.
Vſquè adeò ſiluiſſe juvabat, ut illius ore
Eſſet concluſo, plumbeus uſque globus.

Jugis

Jugis erat menti Crucefixi Numinis ardor;
Non solvi in lacrymas non erat ipse sui.
Fortè coronatum spinis, clavisque refixum,
Fervidiùs meditans, interiisse Deum
(Illa dies, illa hora fuit, qua victima quondam
Nazareus voluit fictus amore mori)
Saucius en Dominus ferro, madidusque cruore
Sic ut erat; famulo talia voce tulit.
Aspice France, sub hoc patior quas stipite pœnas;
Perferre hæc hominis vulnera, fecit Amor
Adamidûm genus ingratum, nec nomine fidum!
Mutua amoris adhuc, pignora nulla dedit!
Quis lacrymas pangat, quas vocibus hisce Senensis,
Ex oculis fudit, fudit ab ore sonos?
Illas cura fuit meditari, surgeret Ortu
Phæbus, seù noctu Cinthia ferret equos.
Hinc manibus suevit lacerum gestare Tonantem:
Prototypus cordi, ceù bene, vivus erat.
Sed nec Diviparæ crebrerrima visio, Francum
Extulit. O quantis adfuit illa modis!
Quin potius Charitum tanto sub pondere, quò plus
Extollebatur, deficiebat Atlas.
Qualis opima solet pomis curvarier arbos,
Et quò plena magis, plus sinuatur humi.

Tem-

Tempus adest, ut mortis iter, testudine cantem;
    Annue, nec mestis i Elegia comis
Mensis erat, nive quo canescere cuncta December
    Efficit, & Capri sidere Zona riget;
Tùm febris arentes Divi complectitur artus,
    Ilicet algenti sub Jove, corda cremat.
Una salus illi, nullam sperare salutem
    Pæoniæ vacuam noverat artis opem.
Tantum Carmeli defert sua vota Patronæ
    Evocat æthercam talibus, axis Heram
Nunc, ò nunc adsis Virgo: mea lumina condas,
    Si pereo terris, tu super astra trahas
Dixerat. O' quantum miro splendore coruscans
    Visa domus! Solis plena nitore stetit.
Intereà mediis exegit Fratribus ævum,
    Supremusque fuit (vivite pace) sonus
Protinus Aligerûm delapsus ab æthere girus,
    Auditus Pean, pangere, Victor, Io.
Candidus astriferos peragravit spiritus orbes;
    Et quod flagrarat, vanuit inde jubar
Plura quidem tumulo portenta fuere beato;
    Sed tu cum Franco Musa perire potes.

ARGV-

ARGUMENTUM
ET EPITOME
VITÆ
DIVI ALBERTI

Trinacria à tribus promontoriis, Pachino, Peloro, & Lilybeo, seù potius à tribus sideribus, quibus subest, nomen adepta, Insula est omnium Insularum, maris mediteranei famosissima. Inter alias Civitates, quas gremio complectitur, Depranum est, quod ortum dedit, fulgentissimo sideri, Alberto, Carmeli Montis germini. Genuit hunc Mater sterilis, voto prius obstricta, se Beatissimæ Virgini, de Monte Carmelo prolem dicaturam. Dum quieti indulgeret, visa est in somno, ex materno utero facem prodere, qua visione novit parens, puerum nasciturum fore illustrem, corã Domino. Par-

tui jam matura, filium peperit, eventusque ostendit, illum gliscentibus annis, instar ignis splendorem, omnium virtutum undequaque diffundere. Quà propter voti compos, puerum, Carmelitarum Cænobio sistit. In hoc, cæteris Cænobitis brevi se totius perfectionis exhibuit exemplar. Admirabilis, in primis pœnitentiæ; nam cilicio, perennibusque catenis, suos artus afflictitabat, corpusque jejunio subjugabat incunctanti, & sexta feria escis absinthium commiscebat: Nec non singularis paupertatis, & ineffabilis castimoniæ, ex quarum cultu, adeò cœlestis sapientiæ uberrimus extitit, ut tantùm in divinis colloquiis, totum animi poneret delicium. Charismatum munus, fuit illi comes, & miraculorum gloria, visa est individua Alberti socia. Infideles, & præcipuè perfidos Judęos ad Christi pascua, sæpè sæpius, sua prædicatione avocavit. Messanæ periclitanti cedere obsidioni, qua premebatur, & penè deditionem offerenti Roberto Regi Neapolitano, cujus armis vexabatur, & præcipuè fame angustiabatur, opem attulit, fusis ad Deum pro ea precibus. Quamobrem ictu oculi, ad appulsum trium triremium pingui annona onustarum, & per mediam Inimico-

micorum classem lapsarum, Civitas, illa ab imminenti periculo trans humanam spem exempta est. Super aquas Platani fluvii ambulans, auxilium porrexit udeis, ob periculum naufragii clamantibus, eosdemque mox flumine baptizavit. Messanam reversus, aliquibus confidenter patefacto ultimo suæ vitæ die jam propinquanti, immediatèque gravi correptus morbo, animam purissimam suo reddidit Creatori. Ejus corpus innumeris claruit portentis. Hinc cum populus sæcularis, sacrum de Sancto Confessore celebrare vellet, Clerus verò pro defuncto, litem abstulerunt duo Angeli è Cœlo lapsi, qui in albis astantes intonare cęperunt Missæ introitum de Sancto Confessore. Hæc est vitæ Epitome Alberti, quę in præsenti carmine laconicè tangitur; In eo attamen Musa dilatatur portento, quod in dies, omnium admiratione, & utilitate experimur. Novimus namque ossa Beati Alberti, in aquis mersa, efficere aquas illas, potens medicamen ad medendas, sanandasque febres. Vnde moris est in nostra Sancta Congregatione, decantatis Sancti primis Vesperis, aquam istam componere, quę sacri ossis contactu, & peculiaris orationibus precibus,

 effici-

efficitur levamen morborum omnium, speciatimque adversus febres, cœlestis, potensque est panacea. Hac virtute referta, lympha bibenda dispensatur, & ne dum illo die; sed toto anni curriculo, sacra hæc aqua construitur, ut caloribus febrilibus medeatur. Inter has ergo salubres Nadayes, Cœlestesque Napeas, Musa nostra posthabitis, Aganippidos, & Hippocrenes undis, spatiari gaudet; cujus virtutes admiratur, & recenset comprobando fidelitatis testimonium, ex salute ab Authore readeptæ: olim jam febrium ardoribus vexato, & tandem hujus aquæ potu incolumitati restituto.

CARMEN XXI.

TRinacris, Italiæ quondàm pars extitit una;
Mutavit veterem sed maris unda situm.
Patria disrupit victor confinia Nereus,
Ambiit abscissam pontus apertus humum;
Sic nunc avulsas interluit æquore cautes,
Divisumque solum Doridos æstus agit
Illinc Jonias haurit de rupe procellas,
Prospicit Adriacos unde Pachinus agros

Hinc

Hinc latrat Tirrhena Thetys, tumidique Pelori
Obvia ſpumanti verbere, ſaxa ferit.
Dextrum Scylla latus, tenet inſidioſa ſinixtrum;
Et vomit abſorptas Virgo Charybdis aquas.
In medio piceas complectitur Ætna cavernas,
Sulphureoque nigras vibrat ab ore faces.
Ætna, triumphato ſemper famoſa Gygante,
Vivit, & æterna dum tonat urna pyra.
Hic ut Fama refert, trifido Jovis igne crematum
Enceladi buſtum ſaxea fata premunt,
Et quoties immane latus, dorſumque rebelle
Mutat in alterutrum, tota Triquetra tremit.
Fumiferos apices, nullo fas tangere greſſu;
Obtutu tantum culmina noſſe decet:
Nunc etenim tetras eructat ad æthera nubes;
Interdum piceis provocat aſtra globis;
At licet æſtiferis è faucibus evomat ignes,
Nec ſecus undanti Mulciber amne fremat:
Scit nivibus ſervare fidem, ſcit jungere fœdus,
Lambit & agnatum proxima flamma gelu.
Non procul horrificis ubi fumigat Ætna ruinis,
Canaque perpetuo murmure terra boat;
Apparent Drepani ſedes, Lilybeaque quondam
Littora; nunc quaſſæ ſtatio tuta rati.

Hìc,

Hìc, natale ſolum hauſit, Carmeli decus ingens
Albertus, Siculo de Genitore ſatus.
Fama eſt, prægnantem taciturna nocte parentem,
Cum tegeret lenis lumina feſſa quies
Enixam vidiſſe facem, quæ lampada terris
Spargeret, ut ſupero fulgur in axe micat.
Eventu monſtrata fides: Puer editus, ingens
Virtutum patria fudit in Vrbe jubar;
Nam lacrymis miſcere preces, & Numinis ante
Cura fuit dios procubuiſſe pedes.
Indutus vilem texit ſua membra lacernam;
Mordebat nudam ſpinea lana cutem;
Quin etiam, pueri varios ſinuata per arcus
Obſtrinxit tenerum ferrea Zona femur,
Et nondum nonos Titan renovaverat annos;
Bis quater at lapſo venerat orbe Ceres.
Mox ubi vernarunt teneri lanugine vultus,
Firmavitque ſuos prima juventa gradus
Virginis ingreditur venerandi liminis aulas;
Carmeli voluit nectere ſede moras,
Et petiit, Mariæque pios veſtivit amictus:
Heù valeant dixit, purpura, palla, chlamys!
Qualis ab æthereo conſurgens Delia cyclo
Virgineo roſeum prodigit ore jubar

Cerni-

Cernitur exiguos tum ſcintillare Planetas,
Cernitur & modicam ſideris eſſe facem:
Taliter effulſit rutilos ſuper ille ſodales,
Tanta ſuum Dius flamma cor uſſit Amor!
Sæpius infernis indixit prælia turmis,
Devictæque tulit celſa trophæa ſtygis:
Pendulus ad ſacros poſtes, laquearibus aureis
Vitreus effuſo lumine lichnus erat;
Hunc jacto feriit Cocythia Larva lapillo,
Ruptaque criſtallus fragmina mille dedit;
Sed lacrymas ſparſit ſacras Albertus ad aras,
Illicò juncta ſuo pars redit icta loco
Quid memorem victa varios de morte triumphos?
Addita Parcarum ſtamina longa colo?
Hæc alii recinant: Alberti me vocat unda,
Hæc jubet Aſcrei currere fontis aquam
Ergo Libethræ quidquid diffluxerit amne
Diffluat in laudes cælica lympha tuas:
Vt primum reſonat, quam protulit ore Sacerdos
Vox ſacra; & Alberti tangitur oſſe liquor.
Hic potis eſt ſubitò febrium reſtinguere flammas
Ardentes, vitreo mergere, rore faces;
Tum furiale malum, paſcens incendia corde
Diſſilet, ardor abeſt, vivida flamma perit

Fune-

Funeris hic domitor: cœlesti profligat ausu
    Pæstiferum virus, nigraque fata fugat.
Bethsaidos medicis fulget preclarior undis
    Hic udor: motu non eget Angelico
Vera cano: Me teste decet, meminisse per ævum,
    Qua mihi Peonia juverit humor ope.
Dum mea tergeminis florerent tempora lustris,
    Albaque purpureus pingeret ora color,
Mensis erat; parilis, quo versus sidera Libræ
    Æqualem roseo Sol vehit imbre diem,
Cum penderet adhuc, viridi super arbore bothrus,
    Et biberet pressi vinitor ostra meri;
Intempesta meas fax est populata medullas,
    Ignea pervasit, frigida membra febris.
Non hæc instabili venas contage peresa,
    Alterna palans est remigrata vice;
Sed non ulla pati voluit divortia: semper
    Gestit assiduis ossa cremare focis;
Nam cecidi, colubri ceù morsus dente viator,
    Sub Jove non patrio corpora sternit humi.
Intereà fauces, squamosis oraque linguis
    (Ægris grande malum) torret anhela sitis,
Quam non haustus aquæ, potus non eluit ullus
    Sævior at medicæ gliscere gaudet opi

Tur-

Turgenti ceù mole trahẽs alvum, miſer Hydrops
Guttura necquicquam fonte perenne, levat.
Nec jugulum ſitiens, argento mitigat udo;
Quin potius poto creſcit ab amne furor:
Quos mihi tunc fontes animo? quot flumina ſtultus
Fingebam? lænis murmura quanta vadi?
Nunc Podii rebar regalis lotus in unda
Per Meandreas, ire, redire vias.
Nunc patrium juxtà Sebetum, tendere greſſus,
Nunc hoſpes, ſcythicas rebar adire nives,
Aut mihi ſi fugiens per roſcida gramina rivus,
Fonſue fluentiſono gurgite, notus erat:
Credebam, gelidas lingua libare ſcatebras,
Arida vel vitreo mergere membra lacu;
Interdum fregiſſe vadum tundentibus ulnis,
Aut madidum fundo, delituiſſe caput.
Dicebam: liquidis precor ò me ſiſtite venis,
Quando erit ut toto pectore labra bibant?
Noſtra tuis poſſent ſi mergi fluctibus ora,
Ah Sebete, tibi munera quanta darem!
Saltem, Pauſilipi me circum littora ferte
Me ſcopuli, & glaucæ Doridos antra juvant,
Accipite hos artus, Neptuno Neſis amica,
O' Mergellini concha beata ſali

 Quis

Quis ſcit, an Euplei rurſus maris æquora verram?
Voſque Dicharchęi cærula ſtagna freti?
Fęlices uda nati Delphines in æde,
Sors fuit, in pelagi vivere marmoribus.
Vidit Ariſteus ſub terris, limina cuncta
Nayadum, & toto flumina ſparſa ſolo:
Undè caput primum ſinvoſus prodit Enipeus,
Unde Pater Tyberis, ſaxeus unde Lycus,
Quaque nigro latitans prorumpit Nilus ab ortu,
Septeno Ægypti, qui rigat ore plagas
Sit mihi; fas modico quà depluit unda canali
(Si potaſſe nefas) aure bibiſſe ſonos;
Hac tamen, & febri feraliùs obtigit omni;
Longa quod inſomni tempora nocte tuli.
Mulſerat haud Morpheus, medicata lumina virga,
Venerat haud ægris utilis ille Deus!
Ah quoties vigil; at lacrymis non clauſus ocellus
Eſt ſerum queſtus ſurgere Luciferum?
Quid ſopor evolitans vigili me nocte fatigas?
(Dicebam); ex oculis cur fugis alte meis?
An quia crudelis cenſeris mortis imago
Ne tua me pallens terreat umbra fugis?
Falleris: infirmum dum mortis imagine privas
Dirus es, & vera morte perire facis.

Ergo

Ergo veni: Dono Divûm gratiſſime ſerpi,
Noſtra ſoporifera membra ſalute riga:
Sic tibi Paſithae, centum det baſia fronti,
Inſideaſque ſuo ſarcina caſta ſinu,
Quid loquor inſipiens: diſperdit verba, preceſque
Caurus, nocturni ſpeſque ſoporis abeſt.
Non potis eſt ſomnos, veſcum revocare papaver,
Ipſaque non poſſet fiſtula Mercurii.
O' Ego ne vigiles conſumere cogerer horas,
Quàm mallem getica rupe rigere lapis!
Stare vel Eoliis pumex obnoxius Auſtris,
Spumea quem rabidi tunderet unda freti!
Ter denos memini, quod Phębus panderit ortus
Lutea demonſtrans atria plena roſis,
Occidui totidem tumulatus littore fluctus,
Ceſſerit aſtriferæ lampada noctis equis;
Nec potuiſſe levi caput indulgere quieti;
Quàm mihi tunc æquè nox & amara dies!
Cumque ferè æterno claudebam lumina ſomno
Jam propè lethæas ebibiturus aquas:
Adfuit Eliadis ſacra Nais, & omina mortis
Naufraga præcepit fluctibus eſſe ſuis.
Saucius exiliens, ut potat colle fluentum
Cervus, cui lævum fixit arundo latus

Sic Carmelitæ sorpsi Patris, ore liquores,
 Ictus ab instantis cuspide penè necis.
Ex tunc, crudelis morbi deferbuit ignis,
 Ex tunc pulsa febris, corpore parta salus.
Et venère, meum mulcentia somnia pectus,
 Et sicco fugit viscere, dira sitis.
Salvè largitrix amissi lympha vigoris,
 Alberti salve, gloria magna Patris:
Tu potis extremas mortis differre ruinas,
 Numinis æterni munus, inempta salus.
Ænara sulphureas taceat nunc Insula thermas,
 Quæque Dycharchæus balnea sudat ager,
Et sileat, cedatque tibi Nabathæus Hydaspes,
 Inda quot aurifero germinat amne vada;
Peonius licet ille fuget contagia fluctus,
 Cogat & ardentes vertere terga febres;
Perpetuo quamvis fluat hic famosus in auro;
 Gemmiferasque suo vortice, fundat aquas;
Sunt telluris enim, & Naturæ munus amantis
 Tù Diuûm, & supero laberis unda polo.
Non Ego tam cari laticis vivā immemor umquàm,
 Non si lethæo pocula fonte bibam,
Quotque sacras hausi sitienti gutture stillas:
 Tot reddam guttas, Bellorophontis equi

Si

Si post trina dedit mihi vivere lustra superstes;
Æternum Musis vivet at unda meis.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. PETRI THOMÆ MARTYRIS.

MArtyr inclitus, Præsulque egregius, Petrus Thomas, fuit præstans Carmeli germen. Condomii in Aquitania est ortus, & cum à pueritia litterarum disciplinæ deditus esset, & eximio erga beatissimam Virginem amore ferveret, tanto impetu Carmeliticam religionem est amplexus, ut

ut minus, ferrum à magnete trahatur; aut magnes ad polum convertatur. Emissis votorum solemnibus, quo cæperat ardore, prosequutus est institutum; ità ut brevi condiscipulos præiret tam vitæ sanctimonia, quam doctrinæ splendore. Theologica fuit redimitus corona, quam humilitatis gratia primum respuit, postmodum obedientiæ virtute illius adeptioni acquievit. Consumatæ perfectionis specimen erat, at præsertim in Deiparæ amore emicabat. Illius studium totum Virgini dicabatur. Illius gesta, nil nisi Marianam dilectionem sapiebant. Virgineum nomen erat illi in aure melos, in gutture mel, in corde nectar, adeò ut Mariani amoris pietas, supra cęteras eminebat dotes; velut inter ignes Luna minores. Non defecit Angelorum Regina, rependere dilectissimo filio reciproci amoris vicissitudinem; quod enim Petrus ab ipsa petebat, munificè illa, petenti impartiebatur, dignabaturque sæpè sæpius illum visitare, & familiari colloquio recreare. Precatus fuit aliquando Petrus, jugibus lacrymis, perennibusque suspiriis beatam Virginem, ut Carmeliticum ordinem perpetuò servaret; cum autē nocte Pentecostes id enixius rogaret, meruit à

sere-

serenissima Paradisi Regina, has voces audire: Confidito Petre; Religio enim Carmelitarum in finem usque sæculi, est perseveruta. Elias namque ejus institutor, jam olim etiam à filio meo impetravit. Verum enim vero cum suprà candelabrum voluerit Deus Petrum collocare, ad fastigium Pactensis Episcopatus, mox Costantinopolitani Patriarchatus sublimatus fuit. Hinc ad Orientales regiones, animum convertit, sacrumque Domini sepulchrum, dilectumque Carmeli Montem, & visitando, & venerando ab illis vix dimoveri potuit, licet necessitate compulsus hoc animi delicium, deponere tandem adstrictus fuit, ne per hæc privata pietatis officia, communem sui gregis custodiam, derelinqueret. Sed denuò ad sanctæ Terræ vestigia direxit: Quippè ut Legatus Apostolicæ Sedis illuc missus est, in quo munere multum suo consilio, singulari prudentia, & fervidis orationibus, laborantibus Christicolis juvit. Specialiter sanctum illud opus promovit, bellum inferendi infidelibus, sanctaque loca à Saraceno Cane deripiendi. In Christiano Exercitu, & cum Militiæ Imperatore, semper conflictibus præsens, sæpissimè de cruento hoste, gloriosos reportavit

trium.

triumphos, viribus potius suarum precum, quam armorum robore : Sed cum vehementius Saracenorum stragi incumberet, & Turcico nomini delendo enixius instaret: heù pietas, ab Infidelium hastatis cuneis, confoditur, multisque vulneribus magnanimè passis, suo sanguine meruit purpuratus coronari. Sic abiit melius, quam obiit, & discessit potius quam decessit; quandoquidem in supernam Hierusalem æternum regnaturus emigravit. Ejus corpus Famagustam delatum, debito honore colitur. In sequenti carmine, sua itinera canit Musa, explicatque ejus anxia desideria, quæ ad Hierusalem recuperandam ferebantur. Hinc Principes Christiani Orbis, invitat, ut sanctissima loca, Christi vestigiis in immensum decorata ab Saladino, tunc Saracenorum Imperatore, eripiant, & sacræ ditioni Christianorum cumulent; quatenus classica, Mari, exercitusque terra præparent, ut post, tractu temporis, sub Duce Gotifredo obtigit.

ARGV-

CARMEN XXII.

VEr erat: Hybernus Zephyro jam cesserat Eurus,
Jam Pœbus longam jusserat ire diem.
Flora, novo varios pingebat germine campos,
Occiderat Lapsum Sole tepente gelu;
Tum Petrus Eliadum germen, cui sedula cordi
Cura fuit Solimas, contitigisse plagas
Faginei recubans fessus sub tegminis umbra,
Quà viridis vernam struxerat herba togam:
Sic ait, & placidi posuerunt murmura venti,
Continuitque suos fluminis unda gradus.
Audite ô Cœli, (vobis si aurita voluptas)
Ad nostrum, choreas sistitis astra, sonum
Quid moror ingratæ lentus sub munere lucis?
Impia cur longos net mihi Parca dies?
Amplius heu serum renovabit Lucifer ævum?
Ah dabit invitas ducere vita moras?
Rumpe precor Lachesis fusi revolubile pensum
Æterna jaceant lumina nocte: precor.
Quid superest ultrà Solis sub veste videndum?
Sat vidi madidis mæsta theatra genis.
En Ego, Condomii patriis egressus ab oris,
Sunt ubi Burdegalæ stagna refusa vadis

Omnia Pirenes, ferè Gallica regna cucurri,
In canas Helice se liquet unde nives.
Ipse Araris, Ligerisque bibi, rapidique Garumnæ
Undas, per varium quas mare sorbet iter;
Hinc geminas adii partes, prope flumina Rheni,
Pinguia Germanum quà colit arva genus,
Scilicet occiduas alio sub Sole jacentes,
Et quas exoriens Cinthius afflat equis.
Me rigidi tenuere Scythæ, rabidique Geloni,
Utraque sub Boreæ natio creta flabro.
Insuper Euxino gens Taurica, proxima Nereo,
Dacus, & assiduo plebs madefacta gelu;
Inde Lyburnorum petii nigra littora: mollem
Sæpius illa mihi præbuit alga thorum.
Ah quoties hyemis conscensus sidere pontum
Penè fuit medio naufraga vita freto?
Dicite Bosphorici fluctus, quas ipse procellas
Pertuli? ab iratis sibila quanta Notis?
Infames scopuli sint Acroceraunia testes,
Ad conjuratam conscia saxa necem;
Ast postquam æquoreis portu data meta periclis;
Interius pressi Persidis arva pedes,
Præcipuos Asiæ montes sum mensus ocello,
Quà Syrus extensis tractibus alta colit

Ilicet aerium Sinai, quo terruit Orbem,
Cum tonitru, gravidus fulguris igne Deus.
Hinc mea Carmeli falii juga, floribus orta,
Et Libani vidi tubera fœta cedris.
Tandem Phoenicum regio, loca versa favonis
Occurrit; plenis sunt ubi mella favis.
Prima Palestinæ sese obtulit ora; corollas
Nutrit Idumęus collibus unde suis.
Mox fines Galilea tuos emensus, aquarum
Jordanis tetigi sacra fluenta senis
Terminus hic calli: Solimam dum cominus urbem
Aspicio, Isacidum mœnia celsa Patrum.
Ast Ego dum Solimam repeto, dolor occupat artus,
Et manant oculis flumina bina meis.
Quid vidi? Miserum me! (Quis talia fando
Singultu careat, temperet à lacrymis?)
Aspexi Samaras sedes, arcesque Sionis,
Sub Saraceni pondere flere jugi.
Barbarus imperii terras has fulmine terret,
Antiquoque recens addere gaudet onus
Impius. Illa vetat vestigia quærere plantis,
Christiades vellet, quæ petiisse genis.
Quin Asiæ regnator ovans, odisse superbit
Nos, procul & Solimo vivere jussit agro

O' bis felicem, nuper si fata dedissent,
Hoc animam caro deposuisse solo.
Nulla meam poterunt oblivia pascere mentem,
Non si lethæum cogar adire vadum.
O' Solime! ò Divini Numinis hospita tellus!
Atque eadem Domini sanguine picta mei!
O' Amani viridis vertex! ò cedrifer Hermon!
Nec procul aurifero germine fœte Sanir!
O' nemus, umbrosis ò hortule creber olivis!
An umquam vestrum non meminisse velim?
Absit: Gethsemanus non tu delebere collis
Pectore, tristantis conscie luce Dei.
Non hortus, roseo Divum sudore fluentem
Visus, pulvereo desiliisse fimo,
Auditusque Patris lacrimosa voce petentem
Auxilium, & multa sollicitasse prece.
Nec te Golgotheum culmen, memorasse pigebit;
Quo tulit ipsa salus exanimata necem.
In te quadrifida fixus trabe, Rector Olympi
Incusso voluit pensilis ære mori.
Nazareus flos ille, tua sic aruit umbra
Sub cruce sic gemuit pressus amore bothrus.
Golgotha sanguineo ditissima Numinis ostro,
Hæc cape de lacrymis dona suprema meis

Ora

Ora vale, lar celſe Sion, dilecta valete
Vos ò fatidicos atria viſa Patres.
Non Ego vos poſthac matuta luce reviſam?
Num mea dum terris vita ſuperſtes erit?
Fallor; Ad has iterum ſędes, huc denuo greſſus
Me citò verſures enthea fata manent.
Neſcio quæ virides hùc flexit Diva volatus.
Spes certè eſt. Lævus Juppiter ecce tonat!
Omen adeſt. Bona ſigna polus dat, & annuit axe
Mars ferro, Solimas velle aperire vias.
Aſpicis! Orion torvis hìc imminet hirquis!
Jam capit armata lucida tela manu!
Non ſemper Chriſti minitatur prælia regnis
Sanguineas ardens cum vomit Æthra faces:
Sæpius infido prænunciat hoſtica Turcæ:
Bella; cruentatus cum rubet igne polus:
Sic erit. O' Chriſti precor agmina, parcere tandem
Diſcitis, in veſtrum pila rotare genus.
Parcit cognato rabies veſana Leoni,
Agnatæ parcit tigridis ira neci.
Bellicus ille furor, qui concita pectora torquet:
Torqueat hùc veſtras vertere geſa manus.
Vos vocat in Turcas, labens ex axe cometes,
Quaque poteſt lucis voce, venire monet

Ite

Ite agite, & Solimam veſtris luſtrate coronis
  Pugnantes, Syriæ ponite jura plagæ
Tuque prior Romane Pater, qui claviger Æthræ
  Tergo fulcis Atlas, Urbis & Orbis onus.
Ad ſacrum Latias bellum, præmitte cohortes,
  Arma ferox Princeps Auſonis ora tonet.
Quæ ſeptemgeminis non cedent collibus Urbes?
  An juga vitabit Tauricus? anne Cylix?
Quæ licet æratis obſiſtent mænia valvis:
  Si Capitolinus fulminet arce Pater?
Semideûm proles, acies Romana, triumphos
  Nunc recolas, captos nunc memorare Duces
Priſcos tolle animos, & Avorum facta recenſe;
  Juverit ut totum bis domuiſſe ſolum.
Profuit Hannibali forſan fregiſſe nivales
  Alpes? an fugit vincla Jugurtha tua?
Mille fluentiſonos ad Ethruſcæ Doridis æſtus
  Sceptra, triumphalis Tibridis unda tulit
Viciſti populos, ultrà Boreoſtama clauſos,
  Senſerunt Latios ultima Bactra, lupos:
Scotia non ſceptrum, non paſſa Britannia virgas,
  Credidit Oenotrio libera colla jugo.
Nunc quoq; Roma tuos decorandus ſtemmate crines
  Jordanes, lauros ſertaque mille parat.

Proxi-

Proxima Liliferi ſint Martia caſtra Dinaſtæ,
    Francigenæ clangant bellica ſigna tubæ
Principibus Gallis, plebs Tingitana reſiſtet?
    Fallitur. Ipſe Leo gallica ſceptra pavet.
Inclite Pirenes Rex, conſtantiſſima ſæcli
    Spes, Vir fortuna celſior ipſe tua;
Belgica cui ſervit, cui Celtica ſubditur ora,
    Quem Tranſalpini Montis, adorat apex.
Pande tuum Zephyris labarum, fac lilia cernat;
    Deque Paleſtino culmine, Turca tremat.
Illa pedes tua, palmis aſſuetiſſima pubes
    Illicò flavicomum, contegat ære caput.
Fatiferam totis impugnet viribus haſtam,
    Fulmineoque ſuum protegat enſe femur.
Qualiter Eoliis Boreas eruptus ab antris,
    Aerios celeri turbine, verrit agros,
Trux volat, inſequiturque nigras è cardine nubes,
    Et cava dant victum nubila pulſa locum;
Non aliter verſos trepida formidine Thraces,
    Maturare fugam tympana Galla dabunt.
Quid ſi de ſtabulis equitatus regius ille
    Proſiliet? Mavors non tremet ipſe polo?
Quadrupedis moderator equi, Rhodanejus Heros,
    Quà graditur, comites, palma, triumpus eunt

Par-

Parthus eques, pharetratus Arabas, gelidusq; Sicāber
Quisq; cadens, madidam sanguine mādet humū.
Cedent Thessalici, cedent ipsique Dracones,
Cedent alipedes sub juga Solis equi.
Ut solet ante Notum disperdi Baltica pulvis:
Sic consumpta (Deo gens inimica) cadet.
Tu Rex ut sacræ decorent tua tempora vittæ:
Lilia fac nubant de Hiericunthe rosis.
Vos quoque Germani proceres, Arctoa juventus,
Quos Martis patrio frigore torret amor.
Linquite perpetuas hyemes, Erymanthidos Ursam
Parrhasioque juvet vertere terga Bovi:
Ite per Auroræ sedes, Solisque cubile,
Finitimos Lybiæ bis penetrate lares;
Nam seu Sidonias contrà certabitis Urbes,
Seù potiùs Tyriis bella feretis agris:
Semper Marmarico Procionis sidere nata
Pectora, frigenti victa pavore trement.
Phoenissas video stringentes ubere natos,
Maternas digitis ter lacerare comas.
Illa genas torquet, servum gemit illa maritum,
Altera captivum plorat abesse patrem.
Qualis hyperboreo belli fax eruet axe!
Frigidus Arctophilax, evomet ore focos

Panno-

Pannonii mea gens, Dani, fortesque Suevi,
  Quæ mora? Lotophagos exanimate Duces.
Non exarmatum Cœlo spectate Bootem!
  Quæ populos vincant, desuper arma manent
Ergo faces, ergo arma, vehent incendia belli,
  Afro luxuriet nata cruore seges.
Ostra dabit vestras Lybie exornanda lacernas,
  Germanos tinget purpura pœna, sagos;
At comes ad pugnam Princeps Sirenidis Urbis
  Acceleres Primas, Partenopeus Atlas.
O' Lux Italiæ, tua gloria regia, numquam
  Vivere fumosis gaudet imaginibus;
Sed gestis veteres virtute præire Parentes,
  Et propria priscum vincere laude decus.
Nunc precor, Armisonæ validos Sirenis Athletas
  Horrifico (imperium quà patet) ære voces.
Est duodena tuis, parens provincia jussis
  Trinacridosque suas ora refundit opes.
Appulus, & Calaber, Marsus tibi servit, & Ufens,
  Vulturnusque ferox ad tua jura fluit
Antiphatis speculæ, spoliis famulantur opimæ,
  Et Læstrigonio littora tuta dolo
Inarime scopulosa domus, fortissima ponto
  Insula, sub labaris militat illa tuis

Eja age, ferali ſtrepitent nunc cornua cantu;
Chalcidici currant ad pia bella Duces.
Jam non Pauſilipi revireſcat collibus haſta,
Non in aratra liquens diffluat indè Chalybs:
Alter fulmineos Martis cudetur in enſes,
Altera ſanguineis purpuret uda fibris.
Sed quæ bella geret Sicanis edita terris
Illa ferox clypeo, fortior enſe manus?
Cominus in medios properans ſic irruet hoſtes,
Sicque ſuæ ſpiſſus cuſpidis ictus erit:
Lentior Ætneis incus tundatur ut antris
Si fortaſſe velit cudere tela Cyclops.
Exoriare Syracuſiis ex oſſibus unus,
Hoſtica qui reflua Doride vela cremes,
Harpagones meditare novos, quo rete reſeptus
Turca Sionea miles ab arce ruat.
Te redeunte dabit redimicla chorallina Nereis,
Imo quæ nutrit Sicelis unda ſinu.
Sed tua major erit Rex gloria magna tuorum.
Celſius in famuli laude triumphat herus.
Sic Sol Partenopes, conſtringes lumine nudam
Lunam, defectus, deliquiumque pati.
Hactenus ad bellum terreſtri Marte ciendum,
Enthea mens, oeſtro perſtitit acta bono

Nunc

Nunc fas æquoreæ mentem convertere classi,
Votorumque juvat pandere vela, mari.
Dii quibus imperium pelagi, modò dicta secundent,
Non aliena meæ sit Galathea preci.
Ille dies veniet, quo cærula tecta, carinis
Christiadum: malis terga secanda dabunt.
Proh quantum fœlix tali sub pondere Phorcis!
Ut sternet latos lætior unda sinus!
Jam non de Eoliis specubus, typhonas amatus
Irruet Hyppotades in pia lina Pater.
Neptunus, nullis concedet jura procellis,
Nec tempestates Plejas axe vomet;
Plurimus at circum ludens Delphinus in orbem
Argenti squamis lambere rostra volet.
Evenient: ferro tellus, findetur & ære
Tethyos unda: solo prælia, bella salo
Auguror. Illa phalanx, cunctas que fronte præibit
Hæc prior, Oceani prælia tradet aquis;
Tuque fores generose Ligur, Ligur helluo ponti
Natus in indomito, legifer esse vado.
Perge Ligur, non frustra animis elate superbis
Perge precor: Patrio est sueta corona freto,
Quæ tua centeno volitabit remige prora
Auspicibus Divis: vincere certa sciet

Bis precor. E ſolio Solimeja regna tenentem
Turbes; longinquis vivat, ut exul agris,
Aut cadat exanimis jactus ceù littore truncus,
Dimenſus patriam ſanguinolentus humum.
Alma cohors: placito pectus ſi carpitur auro,
Si fas divitias congeminare novas:
Vobis Eoi reſerabitur arca Tyranni,
Quæ nunc Chriſtiadum clauſa flagellat opes
Gaza Paleſtinum totis vomet imbribus Hermum,
Extinguent veſtram fuſa talenta ſitim.
Vince mari robuſte Ligur, tibi deſtinat Æther
Præmia, detecto quæ feret orbe Nepos
Tempus erit quo trans Abilam, Calpenq; columnas
Herculeas. Genuæ fama ſuperba volet,
Fabula inanis erit Nautis induſtribus, olim
Amphytrioniadis meta locata manu,
Namque Columbus erit, Typhis fortiſſimus alter,
Et ſua trabs Argo, quæ feret illa Duces
Queis teres Oceanus, cedet ſũa tergora victus,
Agnoſcet leges pontus, & aura novas.
Vltima non Thule per eum, proprioque Bootes;
Tunc properans Phœbi navita curret iter.
Diſſita tollentur tecti divortia Mundi,
Jungetur, qui nunc orbis, & orbis adeſt

Tu

Tu modo magne Ligus, roſtris navalibus altum
I, pete, quaq; fides, armaque ſacra vocant;
Nam tibi ſerta parat, ſertorum mater Idume;
Ornabitque comas flore, Sionis apex.
Robur at immenſum claſſis, ratiumque coronis,
Gens eris, Hadriaco tu dominata mari
Urbs Venetum, quanam digna te laude rependam?
Non mihi ſi fandi gemmea vena foret.
Te ſibi connubio junxit Portumnus ovanti,
Te voluit toto jura dediſſe freto
In medio fabrefacta ſalo, non victa procellis,
Dulcia dotali baſia ſumis aqua.
Jacta ſub æternis tua ſunt fundamina ſæclis,
Quò magis Euripo ſunt agitata, manent.
O' benè nata mari fęlicia pergama! quantum
Omine creverunt proſpera regna tuo!
Auriferos fluvios dives non jactet Iberus
Ditior à veſtro cardine vena fluit.
Quæ Pactolus alit, vel quæ pretioſus Hydaſpes
Amne trahit. fulvo, munera victa ſolent.
Quos referam Cives, Proceroſque, Duceſq; Senatus?
Cuique manet Marti, nupta togata chlamys
Hos ſi fortè juvat deducere claſſica ponto,
Et dare ſpiranti carbaſa tenſa flabro.

Conte-

Contegitur ratibus pelagus, curvisque sub alnis:
Numinis æquorei cærula regna latent.
Ambigeres Cycladas per marmora nare revulsas,
Aut nemus Hercynium sollicitare freta.
Turcia scit, quoties armis obstricta Timavi
Flevit captivos depopulata viros.
Scit mare Mygdonium, scit Doris Persica, quantum
Auctas puniceo sanguine, vidit aquas:
Nunc age fida manus, suetas pete regna per undas,
Illyris ora veni, quò sacra pugna vocat.
Barbarico pressas, Agni dissolve catervas
Imperio, scythica tolle Siona tigri:
Crede mari Tergesta trabes, en sternitur unda
Flat Zephyrus, Zephyro marmora salsa silent,
Vt septena viden! Nilus vos clamat ad ora
Veste vocat tota, pandit & amne sinus.
Quæ mora? Turrigeris dominare triremibus. Eja
Mille para ventis lintea, mille rates
Occidat Othrysius Solima dominator in aula,
Nostra sit hæc vestris hostia danda focis.
Crede mihi, socius vobis pugnabit Olympus;
Conjurata piis afforet aura tubis.
Impastus ceù fęta leo per ovilia vadens
Immani pavidum devorat ore pecus.

Infe-

Inferet haud aliter Turcis, ſtragemque, necemque
   Alatus Marci, belliger ille Leo.
Dudum multiplices victas, cumulavit Orontes;
   Eſſent quæ veſtris ſtemmata digna comis,
Expectatque triumphales ut ſtactea crines
   Vngat mirrha, ſuis edita corticibus.
Ite agite, ad tantas quæ præparat Æthra coronas
   Ah priſcam videant antra Bethlema fidem.
Sic Vos Sfortiadæ Comites, vos ite Strategi
   Eſtenſes, vobis nil ſine, magna decent.
Helleſpontiacos ſpondent mihi fata triumphos;
   Non fundam piceis irrita verba Notis.
O' me fęlicem! nimium lux candida! quando,
   Hac face, ſe tollent gurgite, Solis equi,
Forſitan has lauro pugnas redimitus ovanti
   Clanget Io Vates, & pia bella canet.
Sed tu redde diem citius, ne gaudia differ
   Boſphore, vos lentæ præcipitate moræ.
Dixerat hæc Petrus, ſubitòque per aera cuſtos
   Aliger, ad vitæ munera prima, datus
Numinis ante thronum, duxit ſua vota, preceſque,
   Illicò quæ ſurda, non bibit aure Deus.
Eveniant dixit: Sceleri regnaſſe datum eſt ſat
   Hanc vectent fauſtam ſæcla futura diem

Inve-

Invenere viam, præceptis Fata Tonantis
Luna ruit, micuit Crux, ſuper arce Sion.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ S. ANDREÆ CORSINO.

FLorentia ipſo nomine floriditatem præferens, Urbs eſt Italiæ florentiſſima. Amenitate ſitus, Molium magnificentia, immenſis divitiis, Regiarum etiam obtenebrat ſplendorem; Cuncta tamen hæc ſunt velut, exigua arena, auro Indico comparata, ſi æquari vellent fulgoribus, quos

quos ipsa à suis filiis obtinuit; Prodiit enim ex illa, melius quam ex Equo Trojano, Procerum exercitus, qui Cœlos replevit: adeò ut Roma dempta, non est alia Urbs in toto Orbe, quæ tot Sanctis, Empyreum ditarit, addideritque astra, quam Florentia. Inter hos Cœlicolum Magnates, cōnumeratur S. Andreas Corsinus, precibus à Deo impetratus, & à Parentibus, sanctissimæ Virgini Matri desponsus. Infantem paritura Genitrix sibi visa est in somno lupum edidisse, qui mox ad Carmelitarum Cœnobium appulsus, in ipso fani, liminari in niveum commutatus est agnum.

Exitus, divinam metaphorposim probavit; In ipsis enim juventutis crepusculis, licet ingenuè educatus; attamen ad vitiorum semitam deflexit, & carnis lenocinio, quā primùm deservit. Quod deplorans Mater, admonensque filium à vitiis abstinere; tandem illi aperuit, se voto dicatum esse Deo, & Beatissimæ Virgini de Monte Carmelo, ex quo visionem illam in suo puerperio habuit. Maternis verbis, ploratu mixtis, cessit cor Juvenis, & à vitiorum lethargo excitatus, Dei amore illicò succensus est, amplectique voluit Elianam religionem, cui jam

ex Matris voto obnoxius erat. Admirabile fuit, quales Sanctitatis radios in religioso Claustro fuderit! ipsoque tyrocinii præcipue anno, in quo innumeras pugnas, à Dœmonum legionibus sustinuit. Sed victor tandem, stygias elusit Potestates, & religiosa vota regularis vitæ, (rumpente Dœmone) emisit. Hinc studiorum prosperè emensus stadium, Lutetiæ Parisiorum, omnium plausu, Theologica laurea amicitus est. In Patriam reversus, ob insignes sui animi dotes, & prærogativa refulgens doctrinæ, & sanctitatis, quę religionis in Cœlo, gemini sunt poli, sui Ordinis lupata in Hetruria moderatus est. Dum fortis, sedulusque suo oneri tergum supponit, & Patris Thesbitis regularem observantiam magnificè promovet: En Ecclesia Fesulana suo viduatur Pastore, cui omnium consensu, præficitur Andreas, divino consilio, jam destinatus suæ sponsæ candelabrum, ut ea qua flagraret flamma, alios etiam ureret. Verum humilis Pater, non idoneum se existimans ad Dominici gregis gubernium, respuit, diùque latuit ignotus; sed mirabiliter à pueruli voce patefactus, extrà Urbem est inventus, & ne divinæ opponeretur voluntati, invitus ponderi successit.

Per

Per binæ Olympiadis, biniqui anni ſpatium, ſuam Eccleſiam mirificè moderatus eſt, quo tempore, nihil de priſtina innovavit vita; immò quodammodò dirior in ſe effectus, ferrea catena (ſolito ſæpius) ſe conſtringebat, & modicum ſoporem ſupra vitium ſarmentis conciliabat. Tantæ mortificationis eminentiæ, ceteræ catenabantur virtutes, adeò ut aſſiduitate orationis, & Paſtorali ſollecitudine ab æqualibus Antiſtitibus, ut eorum typus colebatur. In charitatis tamen operibus, ſe, ſupra ſe, elevabat, vulgòque nuncupabatur. Pater Orphanorum, ſponſuſque viduarum. Vſus eſt ſua opera Vrbanus Quintus, ſummus Pontifex, ad ſedandos Bononiæ tumultus; in illam enim Vrbem, legatum miſit Andream, qui ſua prudentia, ſuique eloquii nectare, odia Civium, quæ ad internicionem exarſerant extinxit. Ad ſuam revocatus Eccleſiam, non multo poſt aſſidua ſuæ carnis laniena confectus, Deiparæ viſitatione confortatus, deque obitus die certior factus, geminato locuples talento in Domini gaudium ingredi factus eſt dignus. Hinc fidelis, Herus ſui ſervi ſanctitatem, multis miraculis teſtatam voluit. Hæc breviter recenſita, fuſius ſuo more Camena, poeticis œſtris dilatat.

 CAR-

CARMEN XXIII.

Corsini cane gesta Patris, Florentibus arvis,
Tu quæ fers centum plumea Fama tubas
Da faciles etiam cursus, & labere cæptis,
Tù qui Pierias das mihi Phœbe fides.
Est animus; Pueri cunas, Juvenisque triumphos,
Passaque supremo pangere fata die.
Favistis votis ambo: Favistis, & hisce
Vocibus, intenta sic melos aure bibo.
Nascitur Andreas Vrbi, cui nomina Flores,
O' quod floriferum protulit illa decus!
At Patri, Matrique diù sine prole gementi
Sæpè cor ante Deum fundere cura fuit,
Ne foret amborum fax infęcunda jugalis,
Neve vacent fructu, quem bonus edit Hymen:
Quem si largiri non dedignetur Olympus,
Diviparæ princeps, afforet ille sacer.
Qualiter Anna parens votis, Samuelida natum
Divo contectum veste dicavit Ephod.
Annuit optatus Cœlum, tumuere parentis
Viscera, nec steriles inde fuere sinus.
Fœta, puerperio dum præstat sedula curam,
Hæc patitur sponsi somnia dura thoro.

Scili-

Scilicet è ſilvis palantem fauce cruenta,
Viſa ſibi eſt alvo, continuiſſe lupum.
Hic tamen in niveum ſubitò convertitur agnum,
Repit ut Æthereæ Virginis ante fores.
Vltima lux aderat ciclum dimenſa Novembris:
Phyllirides quando territat aſtra, Senex:
Annua cum redeunt Fratris ſolemnia Petri,
Andreæque ſacer volvitur orbe dies.
Tum matura parens, puerum dat luminis auræ,
Cui Lucina fuit, labilis axe Charis.
Editus in lucem meruit ſibi nomen, & omen
Infans Andreæ, dum ſcelus imbre luit.
Attamen ò pietas! quantum properantibus annis
Diſſita nominibus geſta fuere datis!
Dum cano quæ numeris miſcet ſuſpiria pectus?
Indiſcreta fluit lacryma nexa ſono?
Ah nimis illecebris Mundi Corſinus adhæſit,
Vt roſeas pinxit, prima juventa genas!
Sat mores, animum, genium veſtitque lupinum,
Quà juvenum fatuam poſt abit ille gregem:
Thuſcum, Flumineæ viderunt Najadès Arni,
Laſcivam cithara concinuiſſe ſtrophen
Thuſcum, Circenſi gladiator pulvere vidit
Corniferas jaculis impetiiſſe feras

Nox

Nox erat: (hinc, illinc Mimo volitante Sodali),
Quos dat ſcæna jocos, viſere primus avet,
Promptus ad armigeras ſeſe ſociare catervas,
Impiger in medios bella ciere viros.
In furias quandoque ruit, ſpoliavit & enſem
Vagina; at paſſus vulnera ſæpè fuit.
Sol aderat: dignos vitabant otia cultus,
Otia blanditiis ſemper amica malis.
Olli non umquam tunicæ fluxere ſolutæ;
At ſagus, & ferri tegmen, amictus erat.
Quid referam patriis convivia prodiga menſis?
Non ſemel Etruſco turba ſepulta mero eſt.
Quidquid enim lauti, quidquid venalis in Vrbe
Aſpicit, argenti pondere, promptus emit.
Non deerat cænis perdix, non Phaſidis ales
Non ea quæ diphabo murice puncta, rubet.
Non fœtus timidæ latitans per tecta Columbæ,
Non quæ criſtato vertice, rura colit,
Non, quam ficus alit, quæ dulci paſcitur uva,
Non avis à torta cannabe, paſſa necem.
Dicebant famuli: propè mugit inempta juvencæ
Filia: materno quàm benè lacte tumet!
Hanc eme: multimodè ſectam Vulcanus aduret:
Iſta decent menſas fercula digna tuas

Noſter

Noſter amas Dominus, lactis profundere florem?
  Dona viden, mulctræ nectare fęta novæ,
Sęù concreta cadis, ſeu vimine conſita texto,
  Seù foliis quando pinguius undat adeps.
Hæc illi; At Thuſci juvenis, liberrima dando
  Gaudebat nullæ parcere dextra ſtipi.
Fundere præcipuè laticem gaudebat Jacchi;
  Seù foret auratus, ſeù foret ille ruber
Mitia potandi ſtimulabat prælia princeps,
  Portabat gemina pocula plena manu.
Vina diem celebrent ajebat. Liber & adſis,
  Hùc tu vitigero perge Lięe gradu.
Vos feſti vacuate ſcyphos, mea verna miniſtri;
  Largius ò Ciatho, porrige vitra puer,
Adde puer: madeat generoſo menſa liquore;
  Abſit ut Hetruſco miſta ſit unda mero
Gemmea pampineis ſpument charcheſia ſtratis;
  Amphora deficiat, deficiatque cadus
Cæcuba ſi petitis prælis eliſa Calenis?
  Adſunt. Quæ gallo nectare muſta madent.
Adſunt, Hiſpani firmiſſima vina racemi,
  Aureus Albanæ palmitis, humor adeſt.
Dolia flammivomo venient lacrymata Veſevo;
  Quæque Syracuſii detulit uva lacus.

Vos

Vos hilares celebrate diem; nam gaudia prebet
Bacchus, luminibus, naribus, atque gulæ
Sic ille; & censûs epulis consumit avitos,
Usque per hæc veritus damna, novare famem;
At Genetrix vitiosa sui commercia Nati
Prospiciens, tepido proluit imbre genas.
Jacturamque animæ pavitans, ignemque gehennę:
Vocibus his proli verba precesque tulit.
Nate meus sanguis, generis lux unica nostri,
Qui te præcipitem trames ad ima trahit?
Spes mea, quæ tantum temerat væsania mentem
Vellicet ut superi fulmina sera Jovis?
Desine tu scelerum fili præcurrere callem;
Ni velis ut stygii te premat unda vadi.
Ast ego, de te non hæc expectanda putabam
Trans mare dispersit, vota paterna Notus
Si nescis Mariæ datus es: Voti rea sum ipsa,
Cum Genitore: sacrum te voluisse Deæ.
Sic placuit fatis: ne me præsagia fallant:
Hæc cape cum vera, ru modò dicta fide?
Ventris adhuc urna, partu remorante jacebas,
Jamque uterus justo pondere, plenus erat.
Venerat Oceanum super à seniore marito
Eos, quæ crocco devehit axe diem.

Ecce

Ecce mihi, somni sub imagine fusa, videbar
Immanem tumido, reddere ventre lupum;
Attamen ingreditur Divæ vix Virginis aras,
Agnus & egreditur grandine candidior.
Territa consurgo, nec multum temporis inde
Te peperi, primo, prima dolore parens.
Ah sat adhuc animi te, contexere ferini,
Vixistisque rapax sat velut Urbe lupus.
Introeas tandem Carmeli strenuus arces,
Et nive candidior, candidus agnus eris;
Talia personuit miscens suspiria verbis,
Continuitque suos lacryma oborta sonos:
Qualiter obscuro glomerantur sidera Coro,
Tùm cùm nimboso perstitit imbre polus:
Sol latet, & non dum nigris nox adfuit alis;
Orta sed obscuro clauditur amne dies;
Hunc si, Bistonia Boreas è rupe solutus
Tundat, & obstructum verberet aure jubar:
Protinus, è Getico revocatus flamine Phœbus
Enitet, atque oculos luce micante ferit;
Non aliter Juvenis, discussæ mente tenebræ,
Non aliter cordi lux revocata venit.
Effulsit Titan, abjerunt pectore nubes:
Maternus quandò prodiit ore sonus

 Succé-

Succedit mora nulla lari, mora nullaque, vestem
Induitur, Divo, Diviparæque sacram.
Quis recolat quantum labaro sub Matris amatæ
Præpete virtutum calce, cucurrit iter?
Hic specimen Monaco parendi legibus. O' quàm
Obsequium nacti cęcus adimplet, Heri!
Ardua virtus est sine mente facessere jussa;
Ardua sed quamvis hic sine mente facit,
Ut quondàm cæcè, generis Pater ille fidelis
Sustulit Unigenam sacrificare Deo.
Si cupias hominem Metaneæ jura sequentem?
Corsinus proprii corporis hostis erat.
Creditis: Iliadem pœnarum carne gerebat;
Fixerat hoc uno milite castra rigor.
Artubus haud deerat, pellis scabrosa Cameli,
Endromis haud ferri, ter revoluta globis.
Verberibus duris, sueti parere lacerti,
Insuper ardebant vulnera dura pati.
O' quantùm longo pavit jejunia tractu!
Abstinuisse cibis, hæc erat una fames.
Rore mero, lacrymis potu, succurrere fauci
Hæc fuit ò pietas, ingeniosa sitis.
Sic olim rigidus superans Stilita columnam
Se rapuit limphys, vixit inopsque dapis:

O' ubi

O' ubi ferales animi, geniusque lupinus!
Desiit: ante fores Virginis agnus adest!
Agnus adest, supero quem gramine, Conditor Orbis
Pascit, Olympiaco nectare Mater alit;
Quandoquidem vigiles noctes, duxisse, diesque,
Fervidus orandi non semel egit amor.
Sæpius ardentem, luci tenuere recessus.
Juvit, dumiferas ter penetrare plagas:
Vividius posset precibus laxare lupata,
Et gemitu totos immaduisse sinus.
Tunc teres ambrosio se se dabat ubere Cœlum
Largius undabat, quæ fluit axe Charis,
Sic erat Eliæ simulacrum, dum orat, obedit
Esurit: hinc triplici permeat astra via;
Sed jam quæ modii latitat lucerna sub urna,
Ad candelabri surgat ut alta, decet.
Fortè sacro Fesulæ plorabant absque Parente,
Pastorem optabat plebs lacrymosa suum.
Auxilio Superos, Cœli Numenque vocabat;
Tristibus ambitam quà citò ferret opem
Hæc inter: Puer Andream pro Præsule clamat,
Andream vocitat turba sequuta Patrem.
Præficitur Pastor, quamvis invitus in Vrbe,
Et decorat tonsas, infula sacra comas.

Non si ferrea vox foret, ænea pectora, centum,
Linguæ, sufficiant Præsulis acta, loqui.
Hoc Duce, templorumque nitor, Divûmq; penates
Fulserunt, medio Sol velut axe micat.
Quæ Pubes operata sacris? Non dignior umquàm
Extitit in Fesulis ingeminata preces.
Auspice Corsino, fixit tentoria pietas,
Illic, Vexillum, sanctaque castra tulit.
Fortunæ, legumque parens, ad militis instar,
Et Ducis eximii, quæ docet ante facit;
Hinc plebs Pastori similis, dare terga caducis
Nititur, & quæ sunt cælica, corde petit.
Si Superûm mensis accumbere Præsul anhelat,
Et recolens Agni funera, mane litat:
Innumerus Sacris astans grex, poplite curvo
Mandere triticea sub nive, Numen avet.
Si Populos oracla docet, memorata Prophetis,
Quæque sua Natus Virgine, voce tulit:
Auriferi fluitant sapido de vertice fontes,
Et vomit æthereos lingua diserta Tagos:
Non secus Eoo, qui gurgite prodit Hydaspes,
Proxima divitibus littora, ditat aquis.
Sed tunc Dius amor gentem sine fine cremabat,
Quisque suo tulerat pectore, mille rogos;

Hinc

Hinc procul à croceo non restinguenda metallo
Illa sitis, nimia quæ face corda vorat;
Auriferam Cœli pluviam rehabere merebat
Solus inops; inopi prodigus omnis erat.
Non trux effusis aurigabatur habenis
Luxuries; paphias nullus amabat aves.
Effera barbaries, Cocitidos amne sepulta
A Florentinis finibus exul erat.
Cui comes, anguineis crinem redimita colubris,
Tisiphone, stygias invida nat per aquas.
Undique tuta quies, & jurgia nulla per Vrbem;
Nullaque lymphato fracta malea foro.
Pax aderat stabilis, pax quæ Thaumantide vultu
Bajulat auratos, læta per arva dies.
Contrà oculis accensa fremit, furit Eumenis ore,
Vipereas rabido mordet, & ore manus,
Gorgoneæque canes Erebi, glomerantur in unum,
Vt turbent facibus, lustra serena suis;
Atque ubi non possent Fesulanos urere campos,
Saltem contiguas igne vorare plagas.
Felsinam Alecto invadit; quæ more nocendi,
Exuperat reliquas de tribus, una soror.
Infernis ciet hæc spectris placidissima corda;
Mox caliganti lampade mota cremat

Illicò

CARMEN XXIII.

C Orſini cane geſta Patris, Florentibus arvis,
Tu quæ fers centum plumea Fama tubas
Da faciles etiam curſus, & labere cæptis,
Tù qui Pierias das mihi Phœbe fides.
Eſt animus; Pueri cunas, Juveniſque triumphos,
Paſſaque ſupremo pangere fata die.
Faviſtis votis ambo: Faviſtis, & hiſce
Vocibus, intenta ſic melos aure bibo.
Naſcitur Andreas Vrbi, cui nomina Flores,
O' quod floriferum protulit illa decus!
At Patri, Matrique diù ſine prole gementi
Sæpè cor ante Deum fundere cura fuit,
Ne foret amborum fax inſęcunda jugalis,
Neve vacent fructu, quem bonus edit Hymen:
Quem ſi largiri non dedignetur Olympus,
Diviparæ princeps, afforet ille ſacer.
Qualiter Anna parens votis, Samuelida natum
Divo contectum veſte dicavit Ephod.
Annuit optatus Cœlum, tumuere parentis
Viſcera, nec ſteriles inde fuere ſinus.
Fœta, puerperio dum præſtat ſedula curam,
Hæc patitur ſponſi ſomnia dura thoro.

Scili-

Scilicet è silvis palantem fauce cruenta,
Visa sibi est alvo, continuisse lupum.
Hic tamen in niveum subitò convertitur agnum,
Repit ut Æthereæ Virginis ante fores.
Vltima lux aderat ciclum dimensa Novembris:
Phyllirides quando territat astra, Senex:
Annua cum redeunt Fratris solemnia Petri,
Andreæque sacer volvitur orbe dies.
Tum matura parens, puerum dat luminis auræ,
Cui Lucina fuit, labilis axe Charis.
Editus in lucem meruit sibi nomen, & omen
Infans Andreæ, dum scelus imbre luit.
Attamen ò pietas! quantum properantibus annis
Dissita nominibus gesta fuere datis!
Dum cano quæ numeris miscet suspiria pectus?
Indiscreta fluit lacryma nexa sono?
Ah nimis illecebris Mundi Corsinus adhæsit,
Vt roseas pinxit, prima juventa genas!
Sat mores, animum, genium vestitque lupinum,
Quà juvenum fatuam post abit ille gregem.
Thuscum, Flumineæ viderunt Najadès Arni,
Lascivam cithara concinuisse strophen
Thuscum, Circensi gladiator pulvere vidit
Corniferas jaculis impetiisse feras

Nox

Nox erat: (hinc, illinc Mimo volitante Sodali),
Quos dat ſcæna jocos, viſere primus avet,
Promptus ad armigeras ſeſe ſociare catervas,
Impiger in medios bella ciere viros.
In furias quandoque ruit, ſpoliavit & enſem
Vagina; at paſſus vulnera ſæpè fuit.
Sol aderat: dignos vitabant otia cultus,
Otia blanditiis ſemper amica malis.
Olli non umquam tunicæ fluxere ſolutæ;
At ſagus, & ferri tegmen, amictus erat.
Quid referam patriis convivia prodiga menſis?
Non ſemel Etruſco turba ſepulta mero eſt.
Quidquid enim lauti, quidquid venalis in Vrbe
Aſpicit, argenti pondere, promptus emit.
Non deerat cænis perdix, non Phaſidis ales
Non ea quæ diphabo murice puncta, rubet.
Non fœtus timidæ latitans per tecta Columbæ,
Non quæ criſtato vertice, rura colit,
Non, quam ficus alit, quæ dulci paſcitur uva,
Non avis à torta cannabe, paſſa necem.
Dicebant famuli: propè mugit inempta juvencæ
Filia: materno quàm benè lacte tumet!
Hanc eme: multimodè ſectam Vulcanus aduret:
Iſta decent menſas fercula digna tuas

Noſter

Noster amas Dominus, lactis profundere florem?
  Dona viden, mulctræ nectare fęta novæ,
Sęù concreta cadis, seu vimine consita texto,
  Seù foliis quando pinguius undat adeps.
Hæc illi; At Thusci juvenis, liberrima dando
  Gaudebat nullæ parcere dextra stipi.
Fundere præcipuè laticem gaudebat Jacchi;
  Seù foret auratus, seù foret ille ruber
Mitia potandi stimulabat prælia princeps,
  Portabat gemina pocula plena manu.
Vina diem celebrent ajebat. Liber & adsis,
  Hùc tu vitigero perge Lięe gradu.
Vos festi vacuate scyphos, mea verna ministri;
  Largius ò Ciatho, porrige vitra puer,
Adde puer: madeat generoso mensa liquore;
  Absit ut Hetrusco mista sit unda mero
Gemmea pampineis spument charchesia stratis;
  Amphora deficiat, deficiatque cadus
Cæcuba si petitis prælis elisa Calenis?
  Adsunt. Quæ gallo nectare musta madent.
Adsunt, Hispani firmissima vina racemi,
  Aureus Albanæ palmitis, humor adest.
Dolia flammivomo venient lacrymata Vesevo;
  Quæque Syracusii detulit uva lacus.

Vos

Vos hilares celebrate diem; nam gaudia prebet
  Bacchus, luminibus, naribus, atque gulæ
Sic ille; & cenſus epulis conſumit avitos,
  Uſque per hæc veritus damna, novare famem;
At Genetrix vitioſa ſui commercia Nati
  Proſpiciens, tepido proluit imbre genas:
Jacturamque animæ pavitans, ignemque gehennę
  Vocibus his proli verba precesque tulit.
Nate meus ſanguis, generis lux unica noſtri,
  Qui te præcipitem trames ad ima trahit?
Spes mea, quæ tantum temerat væſania mentem
  Vellicet ut ſuperi fulmina ſera Jovis?
Deſine tu ſcelerum fili præcurrere callem;
  Ni velis ut ſtygii te premat unda vadi.
Aſt ego, de te non hæc expectanda putabam
  Trans mare diſperſit, vota paterna Notus
Si neſcis Mariæ datus es: Voti rea ſum ipſa,
  Cum Genitorę: ſacrum te voluiſſe Deæ.
Sic placuit fatis: ne me præſagia fallant:
  Hæc cape cum vera, ru modò dicta fide?
Ventris adhuc urna, partu remorante jacebas,
  Jamque uterus juſto pondere, plenus erat.
Venerat Oceanum ſuper à ſeniore marito
  Eos, quæ crocco devehit axe diem.

Ecce

Ecce mihi, somni sub imagine fusa, videbar
    Immanem tumido, reddere ventre lupum;
Attamen ingreditur Divæ vix Virginis aras,
    Agnus & egreditur grandine candidior.
Territa consurgo, nec multum temporis inde
    Te peperi, primo, prima dolore parens.
Ah sat adhuc animi te, contexere ferini,
    Vixistisque rapax sat velut Urbe lupus.
Introeas tandem Carmeli strenuus arces,
    Et nive candidior, candidus agnus eris.
Talia personuit miscens suspiria verbis,
    Continuitque suos lacryma oborta sonos.
Qualiter obscuro glomerantur sidera Coro,
    Tùm cùm nimboso perstitit imbre polus:
Sol latet, & non dum nigris nox adfuit alis;
    Orta sed obscuro clauditur amne dies;
Hunc si, Bistonia Boreas è rupe solutus
    Tundat, & obstructum verberet aure jubar:
Protinus, è Getico revocatus flamine Phœbus
    Enitet, atque oculos luce micante ferit;
Non aliter Juvenis, discussæ mente tenebræ,
    Non aliter cordi lux revocata venit.
Effulsit Titan, abjerunt pectore nubes:
    Maternus quandò prodiit ore sonus

Succedit mora nulla lari, mora nullaque, vestem
Induitur, Divo, Diviparæque sacram.
Quis recolat quantum labaro sub Matris amatæ
Præpete virtutum calce, cucurrit iter?
Hic specimen Monaco parendi legibus. O' quàm
Obsequium nacti cęcus adimplet, Heri!
Ardua virtus est sine mente facessere jussa;
Ardua sed quamvis hic sine mente facit,
Ut quondàm cæcè, generis Pater ille fidelis
Sustulit Unigenam sacrificare Deo.
Si cupias hominem Metaneæ jura sequentem?
Corsinus proprii corporis hostis erat.
Creditis: Iliadem pœnarum carne gerebat;
Fixerat hoc uno milite castra rigor.
Artubus haud deerat, pellis scabrosa Cameli,
Endromis haud ferri, ter revoluta globis.
Verberibus duris, sueti parere lacerti,
Insuper ardebant vulnera dura pati.
O' quantùm longo pavit jejunia tractu!
Abstinuisse cibis, hæc erat una fames.
Rore mero, lacrymis potu, succurrere fauci
Hæc fuit ò pietas, ingeniosa sitis.
Sic olim rigidus superans Stilita columnam
Se rapuit limphys, vixit inopsque dapis;

O' ubi

O' ubi ferales animi, geniusque lupinus!
    Desiit: ante fores Virginis agnus adest!
Agnus adest, supero quem gramine, Conditor Orbis
    Pascit, Olympiaco nectare Mater alit;
Quandoquidem vigiles noctes, duxisse, diesque,
    Fervidus orandi non semel egit amor.
Sæpius ardentem, luci tenuere recessus.
    Juvit, dumiferas ter penetrare plagas:
Vividius posset precibus laxare lupata,
    Et gemitu totos immaduisse sinus.
Tunc teres ambrosio se se dabat ubere Cœlum
    Largius undabat, quæ fluit axe Charis,
Sic erat Eliæ simulacrum, dum orat, obedit
    Esurit: hinc triplici permeat astra via;
Sed jam quæ modii latitat lucerna sub urna,
    Ad candelabri surgat ut alta, decet.
Fortè sacro Fesulæ plorabant absque Parente,
    Pastorem optabat plebs lacrymosa suum.
Auxilio Superos, Cœli Numenque vocabat;
    Tristibus ambitam quà citò ferret opem
Hæc inter: Puer Andream pro Præsule clamat,
    Andream vocitat turba sequuta Patrem.
Præficitur Pastor, quamvis invitus in Vrbe,
    Et decorat tonsas, infula sacra comas.

Hinc procul à croceo non reſtinguenda metallo
Illa, ſitis, nimia quæ face corda vorat
Auriferam Cœli pluviam rehabere merebat
Solus inops, inopi prodigus omnis erat.
Non trux effuſis aurigabatur habenis
Luxuries, paphias nullus amabat aves.
Effera barbaries, Cocitidos amne ſepulta
A Florentinis finibus exul erat.
Cui comes, anguineis crinem redimita colubris
Tiſiphone, ſtygias invida nat per aquas.
Undique tuta quies, & jurgia nulla per Vrbem,
Nullaque lymphato fracta malea foro.
Pax aderat ſtabilis, pax quæ Thaumantide vultu
Bajulat auratos, læta per arva dies.
Contrà oculis accenſa fremit, furit Eumenis ore,
Vipereas rabido mordet, & ore manus,
Gorgoneæque canes Erebi, glomerantur in unum,
Vt turbent facibus, luſtra ſerena ſuis;
Atque ubi non poſſent Feſulanos urere campos,
Saltem contiguas igne vorare plagas.
Felſinam Alecto invadit; quæ more nocendi,
Exuperat reliquas de tribus, una ſoror.
Infernis ciet hæc ſpectris placidiſſima corda,
Mox caliganti lampade mota cremat

Illicò

Illicò, quos tulerat ſtygia de ſcpe chelydros,
Solvit, & Vrbe ſuper tetra venena jacit.
Felſinæ nitet Vrbs ſtudiis celeberrima: pingue
Non minus eſt nimia fertilitate ſolum,
Quam regit imperio celſiſſimus Vrbis & Orbis,
Ille Quirinali qui ſedet arce Pater;
Dum ſuper hac, potum rejectat virus Enyo,
Cerbereas mentes injicit illa viris.
Extemplo turbari animos ignobile vulgus
Sentit, & ad pugnas inſcius urget amor.
Exoritur Proceres inter contentio: Cives
Hos quoque bellandi dirior ira rapit.
Cuncta fremunt armis, turbantur cuncta tumultu,
Certatimque omnes hoſtica fata manent;
Vt fremit ex imis agitatum ſedibus æquor,
Si ſtrepit hinc Boreas, ſi furit inde Notus;
Non ſecus illa phalanx, pugnandi turbine quaſſa,
Frendit, & hinc gladios impetit, inde faces.
Senſerat Vrbanus diſcordia corda Dinaſtes,
Vtque vetet mortes, civicaque arma neget,
Illùc Corſinum mittit, qui nectare fandi,
Mellifluaque feros mulceat arte Viros.
Hic Vaticani Patris præcepta faceſſit,
Mæniaque ingreſſus, talia voce refert.

Proiice

Proiice pila manu, pilis armata juventus;
  Pone faces odii, bella cruenta vacent,
Qui septemgeminæ leges dat Tibridis arci
  Hostiles animos, Martia castra vetat.
Ille vetat rixas, placidæ qui claviger Æthræ
  Est homines astris conciliare potis.
Ite foras luctæ, Herculeas trans ite columnas,
  Et tu sanguineus trans mare vade furor
Exulet Odrysios inter fax ista Tryones,
  Audeat haud patrias nunc temerare domos.
Sic jubet Vrbanus, Mundi qui publica lora
  Frænat, & è Cœlo sæcula læta vocat
Buccina compescat, sileant ærisque fragores,
  Largitur fælix Navita, pacis iter
Quid juvat armatas ad bella vocare cohortes?
  Aut conjurato perdere Marte solum?
Quis furor est, perimi per mutua vulnera Fratres,
  Cumque socru generûm conserville manus?
Forsitan agnatum mordet leo, dente leonem?
  Aut cognatus aper fata ministrat apro?
Ah scelus! Adamidum feralior ira leone,
  Est hominum rabies effera, pejor apro!
Quarè agè; Linque feras studiosa Bononia sicas,
  Et calamos repetens doctior, ista doce

Incre-

Increpat ut lituos belli, civilis Erynnis
    Occidit omne bonum, naſcitur omne malum.
Exitium, morboſque parit, fax ignea Martis:
    Inteſtinus ubi provocat arma furor.
Sævior immitem ludit Mors ſaucia ludum;
    Et graviora illum damna ſecuta ruunt.
Ergo vale Bellona, vale Mors, omina pacis
    Cantet Fama, ſuis officioſa tubis.
Vrbani pietas, petit hoc, & dextra potentis;
    Hocque fides poſcit, juſque, piumque meret.
Dixerat hic: Animos jàm ſeditione furentes
    Quis credat ſubito detumuiſſe ſono?
Qualis ubi Eoliis ſpecubus, bacchata procella
    In medii fluctus, irruit Oceani,
Immugit pelagus, montes tolluntur aquarum;
    Plurimus aerio perſonat orbe fragor;
Si tamen antennis ſuper emicuere Lacones;
    Aut fudere ſuas aſtra benigna faces:
Quàm properè ruit ira maris! ſilet Eolus undis!
    Vt poſita Nereus cuſpide mulcet aquas!
Aut cum præcipitat crepitanti grandine nimbus;
    Qui lætas ſegetes, qui ſata culta necat;
Si mox cæruleos Thaumantias exerat arcus,
    Quam citò diffugiunt nubila! ventus abit!

Sic

Sic Patris eloquio, mentes tepuere feroces,
    Sic cecidit rabies, subſtitit ira Ducum.
His modo compoſitis. Paſtor propriã petit Urbem,
    Fert ubi commiſſi pondera ſueta gregis.
Sed jam perpetuis confecta laboribus ætas,
    Extremos ævi ſentit adeſſe dies;
Non tamen exactæ minuuntur pondera vitæ
    Amplexi tantum jura rigoris amat!
Mens manet, aſſiduis præcingere membra catenis,
    Non interrupta ceù domitare fame.
Fortè die quadam, ſigens ferventius axi
    Lumina, ſed fundens blandius ore preces:
En, en ſidereo Virgo deſponſa Tonanti,
    Apparens illi: talia voce dedit.
Emerite ò Miles, tantis exercite bellis
    Macte animi. Cœli proxima palma tibi eſt,
Mox laurus, mox te præcinget adorea: Numen
    Quas dat ovaturo præmia Signifero.
Parva mora eſt. Februi venientis ad orſa,
    Quandò quater terris Lucifer ortus erit:
Tum tù terrenis moriens, lucrabere Cœlos,
    Aligerũmque chorus te ſuper aſtra trahet;
Dixit, & ad pronos Virgo ſalit ocius orbes,
    Andreæque manent pignora certa poli,

Et jam ſtellifero fulgebant æthere, bini
    Piſces, brumalis cum propè finit hyems;
Dicta dies aderat, qua Virgo ſpopondit Olympum;
    Nempè mari Phæbus laverat ora quater:
Corſinus fato cedens; ſuper evolat Æthram
    Viſaque ſunt, placido membra ſopita thoro
Occidit: O' quantas mors attulit una coronas!
    Sola, triumphales tot dare juſſit opes!
Angelicos Proceres, inter cœleſtia Tempe
    Sors eſt, æternos vivere quippè dies.
Finiit hic Phæbus, compreſſit Fama tubaſque:
    Hic Ego ſuſpenſo pectine, linquo melos:

ARGU-

ARGUMENTUM ET EPITOME VITÆ S. AVERTANI

LIlifer Galliæ ager, prodigus semper benè olentium germinum, Carmelitico colli inserendorum, natale solum, dedit Avertano, Virgineo flori Carmeli. Ortus est Lemoviciis ex Parentibus fortuna modicis, at virtute ditissimis. Cum pueriles annos inchoasset, cuperetque odoriferum holocaustum se Deo, beatissimæque Virgini Mariæ offerre: ab Angelo, est monitus, ut Religioni Deiparæ de Monte Carmelo se voveret. Angelico obediens præcepto, Lemoviciis sacrum scapulare assumpsit, quo donatus, illico non modicarum horarum spatio extrà se raptus est, admirantibus cunctis, qui intererant Fratribus.

Ab ecstatico sopore expergefactus, tanta alacritate virtutum arripuit iter, ut non currere, sed volitare ad perfectionis montem videbatur: adeò ut Religiosis omnibus palmam arriperet, quos ad sui admirationem, & affectum allexerat. Obedientiæ filius nuncupabatur, ex eo, quod Superiorum jussa, quasi alarum remigio exequebatur. Non minus paupertatis studium est aggressus, in quo profundas egit radices, & ille, non solum numismata tetigisse piaculare existimabat, verum etiam nominasse. His, cæterisque virtutibus, cohærebat indefessum orationis, & contemplationis exercitium. Quis crederet? Orandi perpetuitas callum durissimum poplitibus effecerat, & chalybis instar, obriguisse videbantur genua. Hinc extra sensus persæpè rapiebatur; quandòque dies integros, in orandi dulcedine consumebat, & cœlesti hoc pabulo recreatus, corporis obliviscebatur necessarii alimenti. Nisi magnus excitabatur strepitus, regulariter ad se redire nequibat, hæcque erat Fratrum industria, ut ab illo, spiritus alienatio ad modicum tempus deponi posset. In majoribus, sive Domini, sivè Matris festivitatibus, per nocturnas horas, proximos Monasterio

colles

colles genuflexus ascendebat; brachiis in Crucis effigiem expansis, oculisque ob deciduos lacrymarum fontes humentibus. Post parvulam moræ intercapedinem, saxo pectus feriebat, & suo cruore terra purpurabat, donec Auroræ jubar ab Eoo surgeret axe, & hoc ut illo tempore, Cœnobii sacris, interesset. Jam pridem suo pectore ardebat desiderium, cęlitus immissum celebrandi pium sanctæ peregrinationis iter; jamque Prælatorum obtinuerat beneplacitum, impetraveratque sibi comitem Beatum Romeum, sui ordinis socium. Intercæpit hoc tamen votum, Dei consilium arcanum, quod aliter de suo servo disposuerat. Erat tunc temporis, memorabilis ille annus, cælestibus prodigiis terribiliter famosus, in quo Solem suo splendore exutum observabant Coloni; prospiciebantq; Agricolæ, per Cœlum simulacra invicem armis contendentia, silvasque continuo turbine agitari, & quasi discedere velle admirabantur; Verùm cùm proximius in cænosis, Lemani lacus stagnis visa fuisset horribilis larva, undèquaquè ripas excurrens; ex tunc immanissima pestis, Italiæ fines devastavit, incredibili hominum, & brutorum strage. Intereà cum Sanctus Avertanus, unà-

que

que Beatus Romeus socius; iter aggrederentur; ut Romam peterent, indèque ad sacra loca emigrarent, & jam imbrium, niviumque rigoribus superatis, Alpium prærupta transiissent: En ab omnibus Italiæ civitatibus sunt exclusi, atque etiam à Lucensi ad cujus portas æger appulerat Avertanus cum Romeo. In Xenodochio tamen Divo Petro dicato, fuit charitate non modica receptus, quæ domus, extra Vrbem sita erat, ad Infirmorum munia subeunda destinata. In medio aliorum infirmorum, diù ægritudini luctatus; tandem morbo cedens, à Christo Domino, atque Angelorum Regina visitatus, in brachiis Beati Romei animam egit. Sic meliori fato supernam aspexit Jerusalem Avertanus, ovaturus in sidereas æternitates. Hęc poeticis numeris à nostra Elegia tanguntur, atque Epidemię epicediis obnoxia. Avertani morte, expirat.

CARMEN XXIV.

IMplicitos capiti discerpe Thalia corimbos,
Non religent nostras laurea serta comas,

Nexa

Nexa cupressifero potius stet stemmate cervix,
    Fundat lethales tibia rauca sonos.
Non mihi dictet opus, testudinis Author Apollo,
    Absint Cirrhęi læta fluenta jugi
Mens avet, horrificos Mortis memorare triumphos,
    Et Lachesis majus concinuisse nefas;
Atropos hinc Phœbus, mihi sit Libytina Camena,
    Sit fons Pieriæ tristis Avernus aquæ.
Dicam ego, quàm sævæ fuerint contagia pestis,
    Queis illa Ausonios viribus arsit agros:
Tempestate illa, qua olim Avertanus alumnus
    Carmeli, superum morte petivit iter.
Ah quantum flevere illum Lemovica saxa!
    Quàm patriis planxit Gallia fluminibus!
Sed mage Lucensis luxit cum flumine collis,
    Qui Divi gremio condidit ossa suo.
Ille quidem, Solimas ibat peregrinus ad arces,
    Romęus comitem se dederatque viæ
Gressibus Alpinas properis superaverat oras,
    Canaque Taurino culmina nata polo:
Jamque Italos fines tactus, Romana petebat
    Prædia, quà Samaras viseret inde plagas;
Sed negat ingressum, clausis Vrbs postibus omnis;
    Quandoquidem valido sepserat ære fores

Dicite

Dicite Lucenses: Appulso cur vetuistis
Hospitium modicæ contribuisse moræ?
Ah cur munificos pepulistis pectore mores?
Nonne erat hæc Gallis terra benigna viris?
Non fuit hoc vitium moris; sed tabida pestis
Impulit obstructas continuisse seras.
Scilicet Ausoniæ tunc grassabatur in arvis,
Corruptis Cœli tractibus, atra lues.
An poterunt tantas mea carmina pangere mortes
Quis sciet? at nostras tu rege Parca fides.
Fama tulit quondam, vidisse palustribus hortis,
(Turbida Lemano quà tacet unda lacu)
Non semel agricolas, exutum lumine Solem;
Cum tegeret roseos nubilus annus equos,
Atque tubas, & bella, nigrum strepuisse per axem;
Et pavidam silvas præmonuisse fugam.
Hic quoque vallis erat, densis obsessa salictis,
Nec procul ebibitis fossa madebat aquis;
Quam super horribili volitavit larva figura:
Hæc equidem mors, aut mortis imago fuit.
Olli erat erasa canus testudine vertex,
Non capiti pellis, pellis inopsque gena.
Concava frons, vultu geminos abscondit ocellos,
Os hiat introrsum, dentibus osque caret.

Nectit

Nectit ſpina, leves viduatos carnibus artus,
Conjungit nudos, oſſea maſſa ſinus.
Nulla ſupervacuis turgeſcit pulpa lacertis,
Nulla manu, femori, pectore, vena tumet
Venter abeſt, toto patefacto viſceris antro,
Nigreſcit putri fluxilis alvus aqua,
Cruribus, & ſuris, taliſque, eſt oſſea crates,
Vmbra videbatur prodita Dyte bipes.
Ex quo monſtrum hoc, Tartarei Plutodinis icon
Eſt viſum; foſſæ quà patet omne latus;
Ex tunc Italicis diriſſima peſtis in arvis
Ferbuit, innumeros depopulata viros.
Fumavit picea tectum fuligine Cœlum,
Veſtivit pullas ſquallida terra togas,
Nec victum dedit, aut medicas languentibus herbas:
Ætherea nocuus fluxerat arce vapor.
Vim primam, gregibus tardæ ſenſere bidentes,
Corniger occubuit dux, prior inter oves;
Mox cecidit, præceps pluma labente volucris,
Garrula dum querulos ederet ore ſonos.
Inde, feræ ſilvis cæperunt ſternier altis,
Mortua polluerant tonſile bruta nemus.
Ceſſerat auricomi rabies tunc ſæva leonis,
Ingluviem lepores nec timuere lupi,

Nullaque villoſo feritas ardebat in Vrſo;
Linquebat caveas ſubtus hyena ſolum.
Ipſe volubilibus ſinvoſus nexibus anguis,
Cui dederunt longos vivere fata dies,
Perbibit hanc peſtem, poto moriturque veneno;
Et citior mediis lubricus aret aquis.
Serpere jam labes urbanis mænibus inde
Cæpit, & humanum proſtituiſſe genus:
Tabida lethali pallebant corpora morbo,
Intolerabilibus debilitata malis.
Marcebant venæ, gelidusque per ora fluebat
Sudor, dum nimius tunderet oſſa tremor.
Abnuerat ſiccum deſcendere fercula guttur,
Aut vix libatas evomit ore dapes.
Ipſam animi ſedem pectus, quatit aſpera tuſſis,
Immani thorax impete concutitur.
Aeris alternum rethrait non pulmo flabellum:
Eſt inteſtini fomitis eſca jecur.
Expuitur ſanies, ſpumanti mixta cruore;
Saucia non aliter membra mucrone forent.
Quid pejus? medicina malo defecerat omnis,
Peoniæ labes riſerat artis opes.
Proh dolor! armipotens bello pugnator, equeſtres
Ante acies primus tela rotare potis,

Igna-

Ignavo rapitur fato, resupinus in ignem
Ardet, qui Getici gloria Martis erat.
Ille Cleanthea doctus studuisse Palestra,
Astrorum superos, suetus adire globos
Occidit: exitio nulla est fuga, portitor Orci
Nil studium curat, nil sapientis epos.
Nauta, feros Austros toties evasus, & æquor:
Longinqui peteret dum rate lucra maris;
Nunc mortis scopulos terris, patiturque procellas,
Haurit & in patrio naufraga fata foco
Sæpè coronatus tunicata veste Sacerdos,
Arduus altari dum sacra liba parat:
Sacrificam moritur genibus prostratus ad aram
Ipse idem Lachesis victima facta manu.
Quid quod, divitias complexus avarus, & aurum:
Inter adoratas lumina claudit haras,
Non Atropos fulva captatur Gangis arena,
Indiscreta æqua stamina falce metit.
Ille machaonia medicus celeberrimus arte;
Non semel ægroti visus adesse salus,
In se Phœbeos exercet inaniter usus,
Et dolet ante suos interiisse dies
Non latebræ, non tecta manent, queis limina mortis
Non pateant; omnes hæc facit esse pares

 Proii-

Proiicit hamatas cæcè nex iſta ſagittas
    Non homo, fæmineum nec genus eſſe juvat;
Dum Juvenes mactat, prima florente juventa,
    Deſinit oblitos haud rapuiſſe ſenes.
Inferias celebraſſe diù, quoque fata negarunt,
    Nec decuit tali funere, pompa comes.
Defecere citò nimium reſerata ſepulchra:
    Quippè jacet, media turba inhumata via.
Hinc partim ſtruxere pyras, hinc corpora partim
    Mandarunt, imo contumulanda lacu
Miſcentur cinerique cinis, cumque oſſibus oſſa.
    In montis ſpeciem tollitur agger humo.
Inque dies creſcit ſerpens Acheruſia tabes
    Febrigeros artus eſt tetigiſſe nefas.
Qualiter Ægypti veniens è finibus, olim
    Peſtis, Cecropias eſt populata plagas
Vaſtavitque polos, terraſque & civibus Vrbes
    Exhauſit, ditem reddideritque ſtygem;
Non ſecus Auſonios contagio tacta Colonos,
    Meſſuit innumeros undique falce viros.
Hæc inter poſitus rerum diſcrimina, Divus
    Fluctuat ut variis fluctuat alnus aquis.
Quid faciat? flexiſſe retrò veſtigia, cæpta
    Vota negant; ſed iter pergere fata vetant.

Adde

Adde quod infirmis regeret vix viribus artus,
Vix dederat longus membra tulisse labor;
Appulit interea, clausæ prope mænia Lucæ,
Fecerat occlusos morbus habere, lares.
Vrbs est incumbens hæc Lunæ montibus altis
Illic finitimos alluit Auser agros.
Sat florens regio, lepida bonitate colentum;
Præcipuè tellus hospita Francigenis.
Nunc tamen heu pietas! Divo non pandere postes
Præcipit, & comiti perniciosa lues.
Exclusus petit ille, sitas trans mænia sedes,
Claviger his dederat nomina sacra Petrus:
Arx erat, hæc ægris Vrbem ultrà structa medendis,
Hic febriger, claudus, saucius, orbus, hydrops,
Cernere erat: quanto fervebant tecta labore!
Serviat ut vario turba ministerio!
Me deceat calamo, describere munia vernæ;
Vtque operi incumbat gens numerosa pio.
Pars vehit ægrotos ulnis, lectoque reponit,
Pars tepido sordes diluit imbre pedes.
Instruit hic, mediis convivia sobria tectis,
Ille foco tetras dat redolere domos.
Dant alii manibus fontes, aliique canistros
Expediunt, Cereris distribuuntque dapes.

Est

Est cui cura manet, tonsis mantilia villis
Pandere, per strati mollia fulchra thori;
Alter at exequitur medici præcepta Magistri,
Dum docta tundit pharmaca mixta manu;
Sive rosas, violasque, cavo concludat aheno,
Quas mox accenso, sedulus igne coquit,
Seù trahat hellebori pressos è fronde liquores,
Vel struat Andromachi, vel Mithidratis opus,
Præparet Archigenis seù (barbara nomina) cinnos
Quos Amiathonii condidit arca senis:
Vsque catenato servit sua cura labori,
Et somno modicas annuit ire moras.
Sic formica solet nullæ indulgere quieti,
Dum vehit ad structas farra resecta domos.
Parte alia: custos animæ fert sacra Sacerdos,
Quo sine, non ullum claudere fata decet.
Hic animi noxas purgat, dat & ore salutem;
Patratum bibula dum bibit aure scelus.
Porrigit hic etiam, diam per strata synaxim,
Quæ sunt extrema congrua liba via,
Palladiaque linit, morientis corpus oliva;
Tartareo luctans ne cadat esca rogo,
Et cùm fatali mors ægrum sustulit haustu:
Solvit funeribus dona suprema suis.

Scili-

Scilicet indutus piceo velamine membra,
Quem, prope ſuccenſa lampade cera gemit
Ter centum querulos, extollit ad æthera cantus
Mille iterat ſonitus pectore, mille preces,
Et ter luſtrali detegit fonte cadaver,
Succenſo totidem thurificatque foco
Sic opus implet; Apis tempe ceù florida circum
It redit, atque favis mellea dona gerit
Has inter ſedes, hæc inter tecta receptus
Eſt Heros æger: cui pia cura mori;
Novit enim veniſſe diem, quo corpus humari
Vellet, & ad ſuperum ſpiritus iret iter:
Sicquè diù morbo luctatus, adeſſe ſupremam
Conſpiciens horam, talia voce refert.
Summe Pater, miſerate meas, curaſque, febreſque,
Quo Duce, mi patrio fas abiiſſe polo;
Si tibi non Solimas placuit me viſere terras;
Figere nec caro poſſe labella ſolo
En morior: peſtem hanc, noſtros quæ ſævit in artus
Oſculor, ad gratam me ferat illa pyram.
Optati ſaltem juvit tetigiſſe laboris.
Principium, & media ſpem cecidiſſe via.
Nunc ubi mors properat, prōptas do mētis habenas
Quippè lubens, quò vis, juſſa ſuperna ſequor

Vnum

Vnum oro, ſupreme Parens; cum ſpiritus auras
    Liquerit, ad Dios fac volitare ſinus.
Dixerat: Affatu: luteis deſcendit ab aſtris
    Filius omnipotens, cui comes alta Parens.
Aligerum ſequitur pictis exercitus alis,
    Qui modicum tereti circuit orbe thorum.
Quacumque aſpicias, jubaris, radiique procella eſt.
    Proh quanta Chriſti gloria luce flagrat!
Non magis auricomus fundit ſua lumina Titan;
    Cum ſupero medium dividit axe diem.
Proh quantas oculis, & vibrat ab ore favillas
    Virgo Parens! qualis fax glomerata comis!
Clarior, haud roſeo Pallantias exit amictu;
    Lumine cum pepulit ſidera victa ſuo.
Vt reliqui ſplendent Comites! ut tota refulget!
    Ter circumfuſa lampade, parva domus!
Ambigeres Cœli totum patuiſſe Senatum,
    Illic, omnimodas eſſe Tonantis opes,
Nec potuiſſe mori Paradiſi limine: quando
    Tantus erat cella paupere, dives honor,
Sed jam fatales Carmelius egerat annos;
    Extremum ſtamen, forfice Parca ſecat.
Inter Olympiacos Proceres, tot millia Divûm
    Aggreditur vitæ veſpere, lucis iter

Æthe-

Æthereæ vidit Solimes felicius Vrbem
Illic æternum de nece victor ovat.

ARGUMENTUM, ET EPITOME VITÆ SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS.

POstremum hoc carmen, coronidem primæ partis coronarum Carmeli, Sancta Maria Magdalena de Pazzis sibi vendicat. In ejus vita, licèt parum immorari superfluum existimo; adeò enim

est celebris, ut nullus ferè inveniatur, quem lateant gesta Sanctissimæ hujus Virginis. Hinc Soli splendores addere putarem, si Mariæ fastos Asiatico calamo, exarare opinarer. Christianus orbis proclamat, hanc ne dum nomine similem (servata tamen debita proportione) extitisse Mariæ Deiparæ; verum etiam puritatis candore. Clangunt fortius mysticæ Theologiæ sectatores, eandem, ne dum nomine, sed etiam virtute pœnitentiæ, & amore sponsi Jesu Christi, persimilem fuisse Mariæ Magdalenæ Bethaniensi.

Laconicè ergo hæc calamus notat. Ethrusca fuit hæc Virgo, & Florentiæ ex parentibus genere præclaris orta est. Ab iis cœlestium charismatum potius, quam lactis ubere alita, ferè ab incunalibus cœlestem vitam est aggressa. Decennis, sponsam cœlesti sponso, castitatis voto se obtulit. Hinc in Carmelitico Sanctæ Mariæ Angelorum Monasterio, angelicam vitam est amplexa; ita ut in tenera ætate, virtutum omnium ideam, Monialibus se objecerit. Erat in ea incredibilis animi candor, & longo proxima intervallo Virginum Virgini videbatur, cujus nomine ditabatur; Quidquid enim castita-

tem

tem obnubilare poterat, prorſus neſciebat. Nec minus, admirabili pœnitentia uniformis obſervabatur Maſſilienſi Heroinæ, cujus nomini cognata erat; Nam per integram Olympiadem, præcipiente ſponſo, ſolo pane triticeo, & fontis aqua, vitam tranſegit. Quis recolet, ut ſuū corpus vulneribus decoraret? cruciatibus refocillaret? O' divini amoris vires! Illud verberibus mulcebat, cilicio fovebat, ferrea catena amplectebatur, vigiliis ſuſtentabat, nuditate tegebat, frigore calefaciebat, nimiiſque ardoribus refrirabat. Profectò non erat in rigoris armiluſtrio, pœna aliqua, quam in ſuis membris experiri nollet. Tantos cruciatus libenter ſuſtinebat, ob ſingulares animi delicias, quas ſugebat è ſui Crucifixi Amoris meditatione. Eveniebat quandoque taliter à cęleſti igne accendi, ut eo ſuſtinendo inſufficiens pectus, aqua frigidiſſima temperari opus eſſet. Rapiebatur frequentiſſimè, & ad conſpectum Crucifixi Sponſi evolabat, illum, ſuum unicum amorem nuncupando. In his eſtaticis alienationibus, divina arcana, cęleſteſque theſauros ſupernę ſapientię hauriebat; Sed quantum ab Agno immaculato divinis chariſmatibus locupletabatur; tantum à Tartareo

est celebris, ut nullus ferè inveniatur, quem lateant gesta Sanctissimæ hujus Virginis. Hinc Soli splendores addere putarem, si Mariæ fastos Asiatico calamo, exarare opinarer. Christianus orbis proclamat, hanc ne dum nomine similem (servata tamen debita proportione) extitisse Mariæ Deiparæ; verum etiam puritatis candore. Clangunt fortius mysticæ Theologiæ sectatores, eandem, ne dum nomine, sed etiam virtute pœnitentiæ, & amore sponsi Jesu Christi, persimilem fuisse Mariæ Magdalenæ Bethaniensi.

Laconicè ergo hæc calamus notat. Ethrusca fuit hæc Virgo, & Florentiæ ex parentibus genere præclaris orta est. Ab iis cœlestium charismatum potius, quam lactis ubere alita, ferè ab incunalibus cœlestem vitam est aggressa. Decennis, sponsam cœlesti sponso, castitatis voto se obtulit. Hinc in Carmelitico Sanctæ Mariæ Angelorum Monasterio, angelicam vitam est amplexa; ita ut in tenera ætate, virtutum omnium ideam, Monialibus se objecerit. Erat in ea incredibilis animi candor, & longo proxima intervallo Virginum Virgini videbatur, cujus nomine ditabatur; Quidquid enim castita-

tem

tem obnubilare poterat, prorſus neſciebat. Nec minus, admirabili pœnitentia uniformis obſervabatur Maſſilienſi Heroinæ, cujus nomini cognata erat; Nam per integram Olympiadem, præcipiente ſponſo, ſolo pane triticeo, & fontis aqua, vitam tranſegit. Quis recolet, ut ſuū corpus vulneribus decoraret? cruciatibus refocillaret? O' divini amoris vires! Illud verberibus mulcebat, cilicio fovebat, ferrea catena amplectebatur, vigiliis ſuſtentabat, nuditate tegebat, frigore calefaciebat, nimiiſque ardoribus refrirabat. Profectò non erat in rigoris armiluſtrio, pœna aliqua, quam in ſuis membris experiri nollet. Tantos cruciatus libenter ſuſtinebat, ob ſingulares animi delicias, quas ſugebat e ſui Crucifixi Amoris meditatione. Eveniebat quandoque taliter à cęleſti igne accendi, ut eo ſuſtinendo inſufficiens pectus, aqua frigidiſſima temperari opus eſſet. Rapiebatur frequentiſſimè, & ad conſpectum Crucifixi Sponſi evolabat, illum, ſuum unicum amorem nuncupando. In his ecſtaticis alienationibus, divina arcana, cęleſteſque theſauros ſupernę ſapientię hauriebat; Sed quantum ab Agno immaculato divinis chariſmatibus locupletabatur; tantum à Tartareo

Dracone pugnas sustinebat. Vicit tamen Galilei semper virtus, & quamvis arida, & ad tempus derelicta; nec non à tenebrarum Principe cruciata; insignes tamen victorias de Ducibus Avernalibus reportavit, ob ineffabilem patientiam, & invincibilem sui humilitatem. Post hæc certamina, incessanter pabulo cęlestium solaminum, reficiebatur, quibus illa intrepido animo renunciabat, suumque os assiduè illa verba usurpabat:

Pati Domine, non mori. In Monialium famulatu, in Novitiarum educatione, sicuti nomine erat Maria, ita opere erat Marta, & non semel, Sororum ulcera lambens sanavit. Prophetico spiritu insignis fuit, nec umquam accidit, Sororem aliquam, inimicam Deo obiisse, cui Maria in suę mortis agone famulatricem assistentiam pręstiterit. Denique in igne, durissimę valetudinis purgata, ut purum aurum migravit ad sponsum, multisque portentis ejus corpus fuit illustre. Nunc etiam incorruptum fęlix ejus cadaver, tamquam cęleste depositum, seruant sui Ordinis Moniales, & ab omnibus Sęculi Principibus debito bonore colitur. Hęc satis de ejus vita. Musa tamen nostra, ad ecstasim rapitur; ad illam videlicet, quę fuit cele-

brior

brior, in qua Maria Magdalena decursum totius Dominicę passionis prospexit, indèque ejus amor est auctus in purissimo Carmeliticę Virginis corde. Sic igitur. Postremum hujus primi voluminis carmen inchoat.

CARMEN XXV.

HVnc mihi postremū concede Camena laborē,
Pauca meæ reddam carmina Magdalydi:
Magdalydi quis pauca neget dare carmina; cunctos
Si dedit è supero cardine Sponsus opes?
Dicitis ò Charites, qui vos cæpere penates,
Tùm cùm Parthenicen, primus adussit amor?
Nam neque sidereum culmen, non atria Cœli,
(Arbitror), aut Zonæ vos tenuere lares;
Golgothei potius saliistis ad ardua montis
Istis Betphàgos, & rediistis agros,
Nec mihi vana fides. Ergo hos iterate recessus,
Et mecum querulas ite, redite plagas,
Pierides precor adsitis; dum me impetus urget
Visa oculis mentis, pangere Magdalydis.
Vobis Calvarius, vertex Heliconius adsit,
Et sit Gethsemani laurus oliva soli;

Si mo-

Si modo Nazareos referenti carmine luctus,
Non adigat plectri fila, silere dolor.
Incipiam: Primum cum Parthenos hauserit œstrum
Hæc tulit ecstaticæ męsta theatra Charis.
Illa Dei soboles, pœnarum victima Patri
Offertur, mortis promptus inire vias.
Ergo ubi cælestes dapibus largitur honores,
Et vescum, miris se dedit inde modis,
Hinc abit, arboreo ponens vestigia luco:
Nocturno quandò vesperis ortus erat.
Hortus adest, placidi nixus sub margine montis,
Fertilis umbriferum comit oliva locum.
Hic precibus blandis, Dominus, mulcere Parentem,
Hic Cœlo palmas tendere, suetus erat.
En ubi sollicitat Patrem; delabitur astris
Aliger, & calicem gestat utràque manu.
Tum curvis, curvum pennis, veneratus Amorem,
Hæc ait æthereo lapsus ab orbe puer.
Accipe de supera, quæ dat tibi munera sede
Progenitor. Votis debita dona tuis.
Aspera dona quidem, facies sed grata ferendo;
Et quæ sunt fellis pocula, mellis ages.
Fas ita, fatales hominum fulcire ruinas,
Immortale decet morte perire decus.

Expe-

Expedit impressas stellis abolere lituras.
  Ah tua nex tantis sit medicina malis.
Proh quantum in terris, Erebus sua protulit arma!
  Adamidum generi non erit ulla salus?
O' vigor omnipotens, hominũ pulcherrime vindex,
  Erige spes fractas, erige nate Deo.
Sanguineos instar fontis patiare liquores
  Fundi, quo tellus flumine, dives eat.
Quadrifidæ da membra cruci, da brachia clavis,
  Da frontem spinis, tempora dia rubis.
Est tibi solvendum milleno fœnore, quotquot
  Carnea pauperies non solvisse potis.
Dixerat hæc Ales plorans; mox sidera scandit:
  Sed jam Nazarei liquerat ossa calor.
Extemplo riguum sudarunt membra cruorem,
  Sanguineæ venis prosiliere fibræ.
Acclinatur humi, stellas qui sustinet Atlas,
  Et rubet effusis ebria terra rosis
Credam, purpureis voluisse coloribus omnes
  Vestiri flores, quos modò tangit Amor
Sic rubuisse petent, vaccinia, lilia, calthas
  Hæcque loqui: Noster quàm benè pinxit Eros,
Sed quis Magdalydi novus angit pectora terror?
  Sunt nè venturi præscia signa mali?

Ite:

Ite : dolos arcete; nefas avertite; peſtem;
    Tollite, quàm labiis proditor ille parat:
Sic clamat, quandò furiis agitatus Judas
    Vendit pro nihilo, totius orbis Herum
Heù ſcelus: Vt perimat ſimulata voce ſalutat!
    Quis credat? pariunt oſcula rapta necem?
Et jam vinclorum ſunt jacta volumina collo
    Numinis, agglomerat linea ſpira manus:
Candida centenis ſunt ilia ſtricta catenis,
    Vt religant tenerum lora retorta femur!
Nazareus trahitur, callis, per & aſpera collis
    Flos! teritur cælica preda rubis!
Nunc faciem tunſam, conculcatoſque lacertos
    Fert pede! compreſſum fert modò calce latus!
O' quot ferales raptatus ſuſtinet ictus!
    Quæ patitur ſæva crebra flagella manu!
Perdita gens, magnis replet clamoribus axem,
    Victor ut è domito mille dat hoſte ſonos
Quid tibi tum ſtupidæ, dum talia Magdala cernis?
    Siſte tuos (vocitas) ferrea turba gradus.
Heccine ſidereo tormenta parata Tonanti?
    Hocque nefas tellus, hoc ſcelus aſtra ferent?
Me me, nunc religent aſperrima vincula,quotquot
    Vos trahitis; noſtras lora ligate comas

Alte-

Al tera, Dædaleis pro funibus usa capillis,
  Si Dio struxit Magdala rete pedi:
Ipsa Ego, millenos patiar pro Numine funes
  Par sors, seù nodos solvere, sivè dare.
Est mea nunc cervix accomoda restibus: Apta
  Sunt etiam, duris brachia nostra flagris,
Et si vincirer non oscula mille negarem
  Vinclis, libertas hæc modò cara foret:
Heù pietas! frustrà sonitus dum jactat inanes,
  Et jacit ad surdos irrita verba Notos,
En videt Isacias raptari Numen ad ædes
  Pontificum. Princeps Annaque Præsul adest.
Ecce cohors insana furentis Militis! Ecce
  Judicis os toruum! protinus aula fremit!
Aula fremit, nimio teterrima murmure; qualis
  Sibilat in Lybico nata procella salo
Hei mihi quis fulmen palma jaculatur ahena?
  Hei mihi nunc alapam pertulit ore Deus?
Intumuit facies! sonuit maxilla! quasi dens
  Pavit! ut impressit ferrea signa manus.
Cur non aruerit scelus ausa facessere dextra?
  Nec fuerit stygio ter, quater usta foco?
Obtinuit (facinus) laudem sævissimus ictus
  Non pœnam! plausu bis sonuere fores.

Ultima, sed non hæc; sunt prima crepuscula noctis.
Altera Tartareo fulminat aula foro.
Hùc trahitur Jesus; Sunt hic tot Tænara monstra,
Innocuum contrà quot cojere senes.
Canior in medio sidet, cui longa vetustas,
Cycneas gemina fecerat aure comas.
O' quot concæpit furias lymphâtus! ab ore
Effera vox prodit! pectore corda tument!
Sic reor Inferno Judex, quatit Eacus urnam,
Si meruit Vatum Pieris unda fidem
Jamque togam lacerans, eructat fauce venenum
Hydra deterius, Cerbereoque Cane.
Hic furor, hic rabies, fractæ manet arbitra legis
Non est hic æquà lance, librata Themis
Quò Caiphan rabidum, minitans insania tollet?
Quid stultus, stulto sub Duce, cætus aget?
Dicam. Lethifero mea lux addicitur Orco,
Mandat ut Occiduis Sol tumuletur aquis.
Barbara proh quantùm sententia! lumina vitæ
Demere; cui debet lucis origo jubar.
Nox quæ tot vigili reseravit lumina Cœlo
Quot Stellas. Tantis juvit an una malis?
Hæc quæ Mortales, Phœbo moriente soporat,
Et recreat cunctos, profuit ipsa Deo?

Falli-

Fallimur. Hanc legem Divo Nox abnegat uni,
    Hæc nox ærumnis est vigilanda suis;
Nam mediis tenebris, aliud petit ecce tribunal;
    Hæc sunt Herodis regia tecta domus;
Quæ mox in Superi Dominũ dum fervet Olympi,
    Facta est, Terrigenis Phlægra referta viris.
Luditur hic Agnus. Delirum turba fatetur
    Aulica; non tantùm vile satellitum.
Inconcussus apex Cœli, nunc stultus habetur,
    Stultitiæque putant credula facta suæ.
Quid Rex insipiens. portenta celebria quæris?
    Miraclum tacto Numine majus adest?
An tacuisse tibi visa est insania? Verbum
    Est hoc, Sphærarum prodiit unde melos.
Infatuata vocas divina silentia? terræ
    Parebit Regi, qui librat axis onus?
Si nescis amens; nimio dicetur amore
    Stultus erit tanto quisquis amore flagrat.
Quid non Dius Eros cælestia pectora cogis?
    Credatur ludi sic potuisse Deum.
Sed jam gens ficto cumulat ludibria Regi;
    Quæritur en totis ædibus, alba chlamys.
Redde togam miles, vel inani parce labori,
    Coccineam faciet sanguinis imbre sui.

Ille licet, niveam deberet ferre lacernam,
    Denotet ingenui quæ benè cordis ebur:
Demum Romuleæ raptatur ad atria ſedis,
    Sunt ubi Cæſareo concita jura foro.
Præſidis hæc etiam domus eſt malè fida Pilati,
    Exedra quot ſyrtes! quot fovet iſta dolos!
Nam licet, inſonti nullas ſub pectore technas
    Noverit, & mentis lilia cana ſuæ;
Attamen inſanam Sinagogæ pertimet iram,
    Cæſareoque lari, roſtra quirina pavet:
Hinc dedit arbitrio Solimorum, Numen Olympi;
    Fervat ut hinc populus, lictor ut inde furat,
Quæ Dipſas, quæ Tigris, quæ feralis hyena
    Rictibus infandis, par feritate foret?
Extemplò nivea viduantur corpora palla,
    Corpora Carpatio non minus alba gelu
Sic heù nudus Amor? coma ſervatura pudorem
    Fluxiſſet ſaltem; ſed coma vulſa jacet.
Ah quantus ſalit ore rubor! minus oſtra rubeſcunt,
    Quæ peperit Tyrio cærula concha mari.
Nudus Amor! cur non alas afferte volucres?
    Anne teges propria tu face Phæbe Deum?
Non equidem: Nudum ſic veſtit Protoparentem;
    Cum reus i[illegible]æ, ſic quoque nudus erat

Quid

Quid queror? augetur rabies: religata columnæ
    Hærent membra, feris illaqueata modis.
Scinduntur ſcuticis, ſetoſa cannabe tortis,
    Et laniat tenerum virga ſaligna femur.
Oſſa ſonant, jam nervorum compage ſoluta,
    Cùm lacerata flagris, viſcera tunſa tremunt.
Ah non mireris teneras liveſcere coſtas,
    Aut violis ſimilem jam nigruiſſe cutem:
Aſpice! millenæ conſurgant corpore plagæ,
    Nam matura, novum vulnera, vulnus alunt.
Currunt muricei, laceris ex artubùs imbres;
    Non ſecus ac gravidis nubibùs, humor abit.
Gliſcit in immenſum dii laniena cruoris;
    In rubro poſſet naufragus ire freto.
Jamque cadunt carnis ferienti fruſta flagello;
    A' tunſo veluti fragmina colle ruunt
Hæc inter, vivis ſpectacula Magdala? vivo
    Inquis, vita (viden) ſi mea vivit adhuc?
Vivit adhuc ſponſus, quaſi ſaucius Agnus ad aras;
    Morte ſed eſt mortis ſævior ipſa mora;
Sed me Sponſe decent hæc vulnera paſſa columna;
    Ni moriar tecum vita ſuperſtes erit?
Parcite ferales Numen, diſcerpere: noſtram
    Tortores meliùs dilaniate cutem

Vel

Vel pariter secum me cæditis; ulcera mortis
Perpetiar sponsi, perpetiarque meæ
Quid loquor? Ah rhamnus refugit nec funis habena
Stat mihi Pro Christo, flagra flagella patent
Quin oculis mage cruda parat proscenia nostris
Illa odiis umquam non saturanda cohors.
Proh dolor! ipse (Deo proles, æquæva Parenti)
Flos de non tacto Virginis ortus agro;
Ludicrus ut Regem simulet, subsellia scandit,
Et laceros artus purpura trita tegit.
Circumstat famulus, replens aulæa cachinnis;
Occupat, at dextram vilis arundo manum,
Sed quæ temporibus bis fixa corona refulget?
Aspicient tantum lumina nostra nefas?
Cerno ego, centeno contextum sente galerum,
Ut capiti nectat spinea serta suo.
Illa est illa: quidem paliuris acta malignis,
Quæ ferit dias infula dira comas.
Implicuit frontem, veprium seges horrida: ferri
Silva, panompheæ fodit & auris ebur,
Et tot sanguinei produnt de vulnere rivi,
Texta quot innumera cuspide, fecit acus
O' Superi hæc vestrum deceat diademata Numen?
Nazareum teget hæc seva tiara caput?

Pro

Pro face, pro radiis, pro majestate Tonantis,
Præparat hastatos sacra corolla rubos?
Quæ non desinerent irasci corda tuendo
Has pœnas, quamvis ferrea corda forent?
Sed gens ad tantos evadit crudior ausus
Purpureos Taurus ceù venit ante sagos.
Est qui formosos pugnis collidit Amoris
Vultus, in faciem qui spuit alter adest:
Hicque genas alapis maculat, colaphisque fatigat
Ille comas vellit, vellit & ungue pilos.
Pars, capiti positos contundit arundine dumos,
Pronius infigent, quà sua spicla vepres.
Pars, genibus supplex, comitatur ludicra mulctis,
Amphitheatrales fingere docta jocos.
Non Ego plus possum visis his vivere dixit
Magdala, semiaminis desiliitque solo;
Sed tuba terribili collapsam suscitat Echo
Increpuitque sonus. Mors properanda Deo.
En astat nuper de silvis eruta quercus,
Quadrifidæ speciem, quercus habetque crucis
Hanc Christo molem imponunt, oneriq;gravatum
Colle super raptant, & sine lege trahunt,
Dum portat suspirat Amor, sub stipite fessus,
Luget, & ad luctus non venit ulla salus

Tan-

Tangit onus plagas: Plus dilatantur Amoris
Vulnera, dùm montis per juga carpit iter.
Plumbea trabs, cerebrũ spinas magis imprimit intus;
Non magis Ætnæo figeret ære Cyclops.
Deficit immani lacerum sub robore tergum,
Seque fatigantem vix genua ægra trahunt.
Intereà tellus avido bibit ore cruorem,
Corpore manantem; quà via tota rubet.
Ah titubat! ceciditque solo! sub mole fatiscens
Non potuit tandem non cubuisse genu.
Diva Parens, si nulla tuo succurrere Nato
Gens properat, Nato Tu modò confer opem.
Aufer sentiferum flavo de vertice rhamnum,
Ex humeris tantam dethrae Virgo trabem;
Aut manibus releva, vel forti suppete dorso,
Amphytrioniades fultor Atlantis eris.
At pia Mater adest, Matrique suprema negantur,
Munera nunc proli, solvere posse suæ;
Attamen ut Turtur, querulum ciet ore susurrum,
, Cui rapuit pullum, gutture vultur edax.
Sicque refert lacrymans. Ten sic mea lumina cernunt
O' Numen? mortem nec mea vita subit?
Luminibus ne fides? Tu Virginis unica proles?
Idem qui patrio nasceris usque sinu?

Quò

Quò species abiit? quò non æquanda venustas
    Apta hyperionium vincere luce jubar?
Cur caput horrificis rubet intractabile dumis
    Deque sua pascit vibice, frontis ebur?
Quadrifidum fesso truncum cur tergore gestas?
    Hei mihi sub tanto stipite vivis adhuc?
Funibus implicitus fatuo cur læditur armus
    Verbere, qui Cœlos est tenuisse potis?
Ut quid, non homines, homines, capita alta ferentes
    Jungitis ad tantas jurgia tanta neces?
Nate tibi vultus non est, nisi vulnus & horror,
    Et decor est tabes, solaque forma cruor.
Sanguineo tueor Solimam rorare liquore,
    Purpureo totas imbre rubere vias.
Gens, fera si pietas in pectore permanet ulla:
    In me, crudeles experiare modos
Fac capiti spinis vulnus, tere membra flagellis,
    Quadrifidam Mariæ dà rapuisse trabem
Nonne manus, manus ista potis sufferre ligamen?
    Non alapam vultus sustinuisse valet?
Ah saltem gessisse vices Simonis agrestis
    Juvarit; pondus sic minuisse crucis.
Infelix genitrix, prohibente cohorte repellor;
    Ast animi Natum passibus, usque sequar:

Et si fata mori dederunt adamantina Patris,
    Ipsa etiam tecum, victima mortis ero.
Has inter voces, quas imo pectore Virgo
    Promit: Calvarii culmen Jesus adit.
Hic Crux erigitur, quam robore bajulat expers;
    Cui tribuit latum stare foramen humo.
Hac super extensus, repetitis ictibus, ille
    Figitur æterni Numinis, unus Eros.
Utraque vulnificis manus hæret saucia clavis,
    Finduntur gemini non secus ære pedes.
Tollitur aeriis tandem sic pendulus auris,
    Alter, & alter adest stipite, latro comes.
Et jam supremos vix spiritus haurit hiatus,
    Frigescunt vacuæ penè cruore fibræ
Sat moles completa rei, nec agenda supersunt
    Fatidicam Vatum testificanda fidem.
Sat pretii pensum, Cœli pro poste recluso
    Commendata satis Discipuloque Parens:
Dum sitit. O' pietas; sitientibus impia labris
    Pocula dant, acido ter medicata mero;
Qippè vices ciathi subiit saturata cicuta
    Spongia, quæ diro turgide felle madet
Ille, venenatos attingens gutture succos;
    Necquicquam tactos faucibus, ore bibit

Voci-

Vociferat: tetigit ſuprema laboris Jeſus;
    Ultima pœnarum fex, fuit iſta ſitis.
Vnum oro Divine Pater cum ſpiritus artus
    Deſeret; ad patrios fac remeare ſinus.
Talia Cœleſtis triplici terebratus ab ære
    Culmine Golgotheo cantica fudit Olor.
Dixerat & curvos tandem mors claudit ocellos:
    Sic devota neci victima, vita fuit,
Sed dudum cernens immenſa theatra dolorum
    Magdala defecit, deficiente Deo.
Exanimis Sponſum Virgo dum plorat ademptum
    Tu melius ſileas, vel lyra noſtra fleas.

Finis Primæ Partis.

AD LAVDEM BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE DE MONTE CARMELO, AC SANCTORVM ELIAE, ET TERESIAE.

INDEX

ALPHABETICUS

Præcipuarum rerum, quæ in hoc Libro recensentur.

A

ani-

B.

C.

E.

Faci-

Fune-

G.

Gygan-

H.

I.

Indu-

L

La-

M.

Ma-

Ma-

Mi-

Nati-

N.

O.

P.

Pa-

Hhh *gium*

Nati-

N.

O.

P.

S.

Se-

Scri-

Spi-

Tyran-

V.

Victi-

X.

Z.

MANIPULUS VARIUS
FLORUM POETICORUM.

CARMINA
F. ANTONII A' S. NICOLAO
CARMELITÆ EXCALCEATI
NEAPOLITANI.

NEAPOLI M.DC.XC.IV.
Ex Officina Sociorum, Porpora, Troyse, & Pietroboni.

SVPERIORVM PERMISSV.

TRIUMPHUS PALLADIS
In Adventu P.N.F. Caroli à S.Brunone Carmelitarum Excalceatorum Exgeneralis.

THEOLOGIA.

Ad Palladis triumphum evolat, suosque ostentat thesauros.

CARMEN I.

IPsa, panompheæ Sapientia cõscia mentis,
De non fictitii tempore nata Jovis
Adsum, Palladiis nunc gloria prima triumphis,
Et Duce me, festus personat iste dies.
Ecce comas redimit, compacta galaxide vitta,
Circumeunt rutilum sidera nexa caput
Scrutor inoffenso divinum lumine Solem,
Quid queat omnipotens condere dextra scio.
Ingredior Triadis nimis avia limina sensu,
Ætherei jubaris desuper arce feror.

At Carmelitæ nunc ad solemnia Patris :
 Impetus ad terras desiliisse fuit.
Quos Ego cælesti thesauros mente recondo,
 Has modò divitias fundere pectus avet.
Non me prisca latent, fractorum gesta Gygantum,
 Quos dedit Inferno vindicis ira Dei.
Crediderant fatuos super astra sedere rebelles;
 Viderunt stygio jacta trophæa solo.
At chorus Aligerum, Divi quà jussa capessit;
 Protinus efficitur Numinis alma cohors.
Victrix: Empyrei conscendit culmina Cœli,
 Et potis est, imam pergere subtus humum.
Alloquitur comites cætus, interprete nutu,
 Et sola fandi munera, mente regit.
Meq; opus haud fugit, ut Verbum descenderit axe,
 Ut lapsum gremio sit geniale Patris.
Tantus amor nostri, renuit non vilia tecta,
 Agrestes puduit non habitare casas;
Æterni quamvis eadem sit imago Parentis,
 Nec proprio Genitus, sit Genitore minor.
Quid memorem Diis ut fluxa canalibus ultrò
 Cælite Mortales irriget imbre Charis?
Ut latebras inter, caligantesque nitores
 Scintillet nigra candida luce Fides?

Quid

Quid referam, supero flammescat amore Beatus?
Quas foveat dulces, corde flagrante faces?
Ut virides Spes alta libret super aera pennas?
Ast ab Olympiacis exulat illa thronis.
Hæc arcana Viri pandam mox Scientia Princeps.
Tanto hæc dona decent adveniente Patre.

PHILOSOPHIA.

Ad adventum Brunonis citis gressibus accurrit, suasque pandit opes.

CARMEN II.

FOelix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Naturæ varios & penetrare modos.
Illum, nec subita terret Fortuna ruina,
Nec pavida frangunt perfida fata vice.
Dum Solis, Lunæque vias, dum permeat Æthram
Fastidita solum mens, super astra manet.
Ille scit Oceani natalia cærula Patris,
Unde trahat verso tramite flumen aquas.
Cur ruat in pelagus Corus tiphonas amatus;
At placido Zephyrus mulceat ore salum.
Unde pruina cadat, gelida cur grandine mixtus,
Aridus hybernos Eolus urat agros

Cur matutinos potent viridaria rores;
Vere novo terris Dædala prata micent:
Quando Dioneæ lactentia germina Matris
Gemmifero citiùs crine roseta flagrent:
Pallida si pariant teneros violaria fœtus,
An niveas referent alba ligustra comas:
Ille scit ut primi cojerunt semina Mundi,
Queis elementa modis mutua bella gerant:
Vt rudis haud possit vitam sine ducere formis
Indiga materies actibus usque suis.
Vt volitet tempus, præsens sit partibus expers,
Et simul, alatus conterat omne Senex
Omnia scit Sapiens, illi famulantur & astra,
Et sua post Doctus fata, superstes erit.
Sed quæ Naturæ pandit secreta Magistra?
Detegit arcanos quæque Sybilla lares?
Ipsa Ego sum tripodis, me quæso noscere Vates
Philosophus, vestram noscere perge Deam
Ipsa Ego sum, superas cui juvit linquere sedes,
Juvit ad hæc celebris phana venire domus.
Et me solemnis deduxit ab axe triumphus,
Vt reddam nivea festa tributa die
Est decus hoc Caroli, sunt celsa trophæa Brunonis,
Qui nostras toto pectore, potat opes

Ille

Ille meos auget semper; virtute decores:
Ipsa sibi gemino fænore reddo decus.

METAPHYSICA.

Caroli honores, ceù proprios æstimat.

CARMEN III.

ALter nascentis tonet incunabula Mundi,
Ortusque, Occasus, quæ sit origo canat:
Scilicet ut fuerit rudis, indigestaque moles,
Quæ modò perspicua Machina luce micat;
Semper enim tereti Titan, haud splenduit auro,
Vsque nec argento Cinthia septa fuit:
Quà mare, quà tellus, & quà circumfluus aer:
His indistinctus tum locus unus erat.
Margine littoreo, Tethys non fregerat iras,
Non librata suo pondere stabat humus,
Vnica Naturæ facies, aderantque, profundi,
Et Terræ, & Cœli limina cuncta simul.
Sic mixta Æternus primùm Faber omnia fudit,
Quà non discreto protulit ore chaos;
Sedibus inde suis, posuit quos fecerat orbes,
Jussit & in propriis ficta manere locis.

Fri-

Frigida sejunxit calidis, rorantia siccis,
Fecit humum stabilem, fluctisuumque mare.
Astra canant alii, Phœbi, Phœbesque labores,
Ætheris inquirant multiplicesque globos.
Quippè suos cur Sol currus, caligine velet,
Nec semper roseis exerat ora genis
Delia quid sphæram giro breviore pererret,
Et reparet proprio menstrua damna polo.
Tramite quid lento raptent sua plaustra Triones
Plejadum spisso, sed ruat imbre chorus,
Hæc aliis. At ego astra super, convexaque Cœli
Evolitans; animo nobiliora peto.
Rem scrutor, scrutorque Vnum, Verumq; bonumq;
Omnibus imbibito, quidquid & ente fluit.
Non mea materiæ fines mens clauditur intra:
Quid potis esse, mea sub ditione cadit.
Sic gradiens nubes Jovis ales ima relinquit,
Semper & alarum remige celsa secat.
Quin etiam miranda Animæ magnalia rimor,
Quam Divina potest condere sola manus.
Hæc, primùm ut sociæ pervenit ad ostia vitæ
Mira fides, toto corpore tota sedet,
Nec minus in cunctis sedet integra partibus, & cum
Solvitur, imperio libera mortis ovat.

Hæc

Hæc licet alta petam, nec fine coerceat ullo,
In sola claudi mente Brunonis amo.
Illic nam sedes, illic tentoria fixi:
Divitias solus possidet ille meas;
Vnde suæ properans nunc ad præconia laudis,
Non est Brunonis nostra corona minùs.
Omnia cum Carolo fecit communia virtus
Ille meo vivit pectore, vivo suo.

ASTROLOGIA.

Auguratur felicitatem, ex adventu in signo Aquarii.

CARMEN IV.

DIcamus bona verba: Tonat nunc omine fausto
Juppiter, Æthereæ dant bona signa domus.
En Ego stellarum moderatrix, sideris auspex,
Pandere fatidica docta futura face:
Astrorum facies, hinc, illinc cerno benignas
Signifer, ut læto volvitur orbe cyclus.
Vrniger hybernos modo fundit Aquarius imbres
Huc recto Titan calle, reduxit equos,

Quem

Quem torvo saliens non aspicit ore Gradivus;
Proxima sed radiis Cypria Diva favet.
Auguror: Hæ Cœli, quas fundit Aquarius undę
Evadent Charitis vera fluenta Deæ,
Et quos fęlices portendunt lumina casus,
Evenient: dextro Numine stella notat.
Jam mihi venturi recluditur alea fati:
Ecbatano tueor sæcula fulva jugo.
Carolus innocua, sentes cùm falce recidet:
Carmeli propius surget ad astra caput:
Quippè renascentur Saturnia tempora: melle
Arbuta sudabunt, flumina lacte fluent.
Hos precor Hydrochous, verses sed prodigus imbres:
Tù benè largifluo labere lympha polo.
Hanc amat alluviem Carmeli florida Cervix,
Cujus picta sinum gemmea vernat humus;
Sed sitiunt cœlestis aquæ, sata florea rivos;
Rura sed hæc solo rore, virere decent.
Labere lympha polo, si talia signa figuras,
Auspicibus Divis, labere lympha polo.
Eliæ fontes vndantibus amnibus auge,
Fertilior cunctis hic cataclismus eat.
Non me deludet Sortis cortina futuræ
Fallere nec potis est, luminis ille nitor

Ad-

Adventum Caroli portenta verenda ſequentur;
Axe pluent toto, ſtemmata lætitiæ.
Hoc veniente: novos Carmel potabit honores,
Quàm mage formoſi gloria collis erit!
Chaonias quercus, nec noxia robora gignet,
In nullo ſterilis tubere ceſpes erit
Floreſcet tellus, gemmantibus herbida plantis,
Pubeſcet gravido germine cultus ager.
Ergo adſis: Te noſtra vocant præſagia Bruno,
Nec Ganimedæi ſideris omen abeſt.
Ipſa Planetarum, fatali carmine Protheus
Si cano: diſplicitas Tù modò rumpe moras.

GEOGRAPHIA.

Plurima Brunonis itinera, peragrataſque Provincias commemorat:

CARMEN V.

FOrtè tuas taceam;cùm nunc Neomenia laudes
Imperet, ut plauſus omine menſis eat?
Ah pereat, quæcumque ſuas vel Scientia voces
Comprimit; aut mutum Muſa retardat ebur

Sunt ingrata satis, nec amica silentia Cœlo;
Vndique si vox, si vocis imago sonat
Non ne Ego, Brunonis pro relligione labores,
Et vidi, & stupui? totque remensa vada?
Ipsa eadem Caroli nudato calce fatebor,
Confectum Arctoi non semel orbis iter,
Euboicique maris superata Caphàrea saxa
Bosphoricique sinus ostia Syndromadûm.
Cùm te divini urgeret certamen honoris,
Impuleratque tuos visere cura lares.
Nam vix te patrio tenuit Burgundia tecto;
Cum juvit propias ter peragrare nives.
Vidisti immensos, ubi stat Germania campos,
Quos rigat expanso flumine Danubius
Vrbs est Austriacas inter notissima terras,
Quæ magnum à resono flumine nomen habet
Imperii sedes, Aquilarum altrixque Vienna,
Hausit sudores sæpius illa tuos.
Te Bavarus, Suevus, Moravus, vidit'q; Sicamber,
Quique Hebri gelidas ebibit Vnnus aquas.
Belgica te pubes, niveas excepit in ulnas,
Fœdere cui stabili jungitur Oceanus.
Te cultrix fidei; bellantûm strenua Mater,
Cæpit, liligeris Gallia læta plagis.

Quid

Quid memorem Latii transfactas culminis arces?
  Visaque septeno Romula templa lucro?
Te, ratis Hadriaci vexit per cærula Nerei,
  Desponsam Venetus quà sibi jungit aquam.
Ah quoties, Scyllam medians interque Charybdim
  Est tibi visa Canis more, latrare Thetis?
Trinacris Ætnæis ubi percutit æthera saxis,
  Scitque suam nivibus flamma fovere fidem.
Hinc nova Partenope, levibus comitata Napeis,
  Qua venias sospes est reprecata Deos
Ipsa coronata pacata per æquora concha...
  Cunctas Sirenum prodiga fudit opes,
Hæc tamen haud bijugis raptus, celeriq;quadriga;
  Calcasti at nudo Carole regna pede.
Macte animi: Tantos celebrat mage fama recursus
  Gratior arridens respicit ista polus;
Nam dum cornipedem, frænis, lorisq; decorum
  Respuis, & currus commoda, spontè negas
Ipse tibi Elias, splendentibus ignea flammis,
  Ut Cœlum ascendas obvia plaustra parat.

ARITMETICA.

Innumeras Caroli Virtutes enumerare desperat.

CARMEN VI.

IPsa canam numeros, numerorum Scientia; quāvis
 Innumeras animo Carolus abdat opes.
Eliæ soboles, ò terque, quaterque beate,
 Calcatus totiès illecebrosa pede!
Non mihi, si centum sint ora loquentia linguis,
 Ferrea si fundant pectora, mille sonos
Immensas valeam laudum memorare catervas;
 Et mentis dotes enumerare tuæ.
Non tot in Hybleis florescunt sidera pratis;
 Cum nova de verno germine gemma tumet;
Nec tot sidereo collucent culmine flores,
 Cum tetigit medium Cinthia noctis iter.
Quot sunt virtutes, quas imo corde recondis,
 Aut tibi quot Charites dona dedere Deæ,
Eliæ soboles ò terque, quaterque beate,
 Cum Mundi immundas viceris insidias!
Non tot Erythreo nascuntur gurgite conchæ
 Patre orte Cœlo, Tethyde Matre satæ;

Nec

Nec tot flaventes Ganges evoluit arenas,
    Totue Tagus gremio divite condit opes:
Quot tibi divinas tribuit Sapientia gazas,
    Fudit largiflua quot pretiosa manu
Certet Achæmenius, picti scrutator Olympi
    Astrorum innumerum, connumerare gregem
Computet arboreas frondes, guttasque profundi
    Niliacus Vates, æquoreumque pecus:
Haud poterunt Caroli cumulum censere decorùm,
    Claudere non meriti grandia tanta sui
Eliæ soboles ò terque, quaterque beate
    Si tibi Terreni viluit orbis honor.
Hùc fidibus citharàque potens, hùc Musica tende
    Adstrue concentus, barbita mille para,
Tu comes, atque meo subjecta pedissequa regno
    Harmonicos nostris junge tuos numeros.
Detine lætantes repetitis cantibus aures
    Rumpe moras, blando pollice tange lyram
Concordis reboent centum discrimina vocis;
    Quin reflexa suis personet aura modis.
Quot Philomela ciet verno sub sidere cantus,
    Ad vada Męandri quot ciet albus olor,
Tu superes, numerisque tuis, melos insere nostrum
    Insertos numeros, disticha texta sonent

Eliæ

Eliæ ſoboles ò terque, quaterque beate:
Si te ſidereus ſemper aduſſit amor.

MUSICA.

Concentus, ad triumphi lętitiam pręparat.

CARMEN VII.

ITe procul ſcelerum contagia, lurida peſtis,
Quæ mora? Tartareis i tumulanda vadis.
Jam Cœli patuere fores, comptiſque capillis
Candidior Titan exerit orbe diem.
Vos æterni ignes, ſtellatæ lumina Zonæ
Lucidius celſa fundite ſede jubar.
Carolus advenit, Carmeli gloria collis,
Carolus Arctoi gloria ſumma poli.
En Ego concentus numeroſis Muſica plectris
Præparo, me pecten, me lyra ſueta decet
Prævia multifido vadat ſymphonia nervo,
Vincat Apollineos cantio noſtra modos.
Ipſa canam fidibus venientis geſta Parentis,
Vt ſit Carmeli pompa ter aucta jugo;
Quacumque ingreditur, ſtygii date terga manipli,
Ad Phlegetontæos præcipitate ſpecus

Ille

Ille coronatas furias fugat anguibus Orci,
　　Tænarios mactat Numinis igne greges.
Deformis genius graveolentia ſtagna pererret,
　　Obſtupeatque putri ſceptra ſepulta fimo.
At Carolum ſequitur (magna ſtipante caterva
　　Semper virtutum) cælica ponè Charis.
It comes æthereis dives Sapientia donis,
　　Quæ celer, aſtriferæ prodigit arcis opes;
Quæ vox, quæ ſolito plaudentior aſſonat Echo?
　　In noſtro nunquam gratior ore fuit.
Ferre voluptatum nimbos, lux orta videtur,
　　Et ſimul auriferos velle referre dies.
Turbida diffugiunt, & amantes nubila ventos
　　Carcere componit, nulla procella furit,
Nulla ſupercilium nubes agit, omnis Eoo
　　Lux venit, auricoma cætera luce nitent.
Non aliter micat orbe dies, ſic labitur axe
　　Sic Phœbi roſeo purpurat ore jubar.
Hæc Ego non humili meditabor Muſica plectro:
　　Intonet hæc orbi ſollicitata chelys.
Dum ſocias fidibus comitamur Carole voces:
　　Accipe, quod grata fundimus aure melos.

ASTRO-

ASTRONOMIA.

Invitat Planetas ad triumphum.

CARMEN VIII.

PHæbe per aſtriferos revehis qui ſæcula giros
Siſte: quid alipedes ad juga jungis equos?
Parce citas agitare rotas, urgere jugales:
Nè tàm præcipiti decidat axe dies.
Aſpice. Carmeli tulit indulgentia Solis
Non intempeſtos; ſed ſine fęce dies:
Sortitus habuere ſuos, nunc vota, precesſque
Eliæ ſobolis, gaudia magna manent.
Sebeti celebres viſit jam Carolus undas
Venit ad Herculei littora grata maris.
Ipſa etiam ſphæræ, ſemper quæ commoror aſtris
Ipſaque ſiderei nota Magiſtra globi:
Ad terras properante gradu, nunc lætor eunda
Palladis ad palmas: ſit mihi terra polus.
Voſque etiam, celeres, hùc oro venite Planetæ
Lætitià plauſus, conſociate meos.
Adſis virgineum Phæbe ſuffuſa ruborem
Tù quæ fraterno lumine lumen habes

Adſis

Adſis plumiferis qui fers talaria plantis,
 O' caducæi geſtitor, ore potens.
Tuque fave Nerei proles, ò Mater amoris,
 Scilicet impuras quæ fugis illa faces.
Armiger hùc pronus tendas ad prælia Mavors;
 Belligeræ micat hic Palladis altus honor.
Juppiter hùc venias, nutu qui concutis axem,
 Cujus & ad fulmen, ſubdita terra pavet.
Divorumque Pater properes, Saturnia ſæcla,
 Qui geris, & curvo cingeris enſe ſenex.
Vos ò ſtellatæ rutilantia Numina Zonæ,
 Præcipuè clario limina tacta Deo:
Ad tantos animum convertitis oro triumphos,
 Cum tellure, ſuos miſceat Æthra ſonos.
Dum dulces Siren juxtà Craterida cantus
 Perſonat, & lepidum pangit ab ore melos:
Nunc ſimul æthereæ reſonet ſimphonia ſphæræ
 Gloria ſitque ſolo, gloria ſitque polo.

MACHINATIVA.

Ad fęliciora bella convertit instrumenta militaria.

CARMEN IX.

SEmper Ego Martis meditabor prælia? semper
 Fumabunt votis classica, & arma meis?
Ah rigidis vivam semper devota maniplis?
 Cessabunt numquam tela cruenta manu?
Guttura fulmineis sternentia mænia bombis
 Vnica quid nostræ præmia laudis erunt?
Confractæ turres & erunt mea gloria mortes?
 Seù cava sulphureis machina fœta pilis?
Vosque meæ vires liquefactus Mulciber? & vos
 Plumigera ad celerem spicula nata necem?
Absit, ut immanis ferar ad confinia lethi
 Semper, & ad funus semper anhelet amor.
Qui fuit, ignivomum per ahenea concava ferrum,
 Qui prior explodit, ferreus ille fuit:
Illum Getulæ lactavit Tigridis uber,
 Aut pavit libico nata leena solo.

Tunc

Tunc fœcunda truces auxit mage Parca triumphos,
Prosiluit multa plus Libitina via.
Vt tormenta suos eructant ore boatus
Fatiferoque pluit ferreus igne globus.
Non agger, non terra favent; septemplice quamvis
Obiice cingantur, vis nihil ulla valet.
Et muri, speculæque jacent, turresque fatiscunt!
Præcipitant fractis obsita claustra feris!
Sat Marti, Mortique datum; sat lusimus armis,
Nunc aliò belli, me vocat alter amor.
Prælia me pugnæque juvant, queis horrida Dytis
Ostia sternuntur, squallida regna cadunt.
Queis Phlegetonteæ vertunt sua terga Phalanges,
Queis nigra Tartarei proruit ara Jovis.
Vos amor, atque eritis mea sedula cura catenæ;
Nectere quas superus monstrat Amor femore.
Quæque cruentatis brumalia terga flagella:
Vos eritis nostri pectoris, unus honor.
O' strophium, & duræ salvete subucula lanæ,
Et tu villosæ flexile tegmen ovis:
Vestris Inferni doceam cum viribus Hostis,
Et Sæcli, & Carnis vincere blanditias.
Quin etiam Empirei super ardua scandere Cœli;
Nam patitur vires, Sidus, & Æthra suas

Auſpice te Bruno, novus hic demulceat ardor
Pectora bellari, tela rotare nova:
Nam Tu flagra manu docuiſti ſtringere forti
Queis madido fluxit ſanguine, palma recens:
Hinc Ego dediſcam poſt hæc horrentia Martis;
Talia ſed vitam vulnera Morte dabunt.

COSMOGRAPHIA.

Suadet Mundi Regnis, ut ad Palladis Triumphum dona afferant.

CARMEN X.

HÆc ſtabili fundata ſolo firmiſſima tellus
Inconcuſſa ſua mole librata manet.
Ipſam, Meridies, adverſaque reſpicit Arctos;
Heſperus hinc oritur, Lucifer inde ſalit.
Scinditur in partes, terræ globus iſte quaternas;
Non ſecus in geminos volvitur Æthra polos.
Primùm Aſia, armigeris apparet fœta carinis,
Quam premit indigno barbara Luna jugo:
Africa poſt ſequitur, latiis infeſta coronis,
Exuſtoſque colunt hos Naſamones agros.

Hinc

Hinc auro, felixque eſt, dives America gemmis,
Quas fortunatus poſſidet Indus opes.
Jnde Europa ſuis ſplendet famoſa trophæis;
Et domiti victrix dicitur Orbis adhuc.
Eja age Palladio geſtent hæc regna triumpho:
Munera Brunoni dona ſuperba ferant:
Portet Idumæas Perſis celeberrima palmas,
Et quæ Carmelus florida ſerta fovet?
Quoſque immortali Libanus fert robore Cedro
Donet; quæ Hierico, ſacra roſeta rubent.
Turcica laurigeros vectet Provincia faſces,
Bethlemii ſemper quos aluere ſpecus.
Vos ò quos rabido comburit Sirius aſtro
Æthiopes, nigro quos notat ore polus:
Linquite Tithonis ſedes, Titanis & arcem.
Aurea gemmiferi pondera ferte ſoli.
Portate extremi tingentes vellera Seres,
Puniceo munus quod dat Erithra ſalo:
Ite Arabes, precor huc merces afferte Sabei;
Hybleos oleat palladis ara thimos,
Et quæ Panchæo conſumitis igne fruteta
Spargite, nunc feſto dum micat axe dies
Auroræ populus, patrii conchilia Nerei,
Detque tributa, ſuas aurifer Hermus aquas

Non

Non ſata nobilibus deſint donaria limphis ;
Quæ Pretioſa Padus ſuccina flumen alit,
Vel quæ de Sicula virgulta corallina caute,
Eruta mox hauſto flamine ſaxa rigent.
Hæc Eliani vigeat quà gratia facti,
Omnia vos Mundi munera regna date.
Nam ſacra Carmeli luſtralibus eluit undis,
Gens, quos extrema ſub regione videt,
Et quos Romulea florentes reſpicit ara
Succenſo dii flaminis igne cremat.
Quare agite ad tàntum referatis munera, munus,
Voſque aſtra, & tellus plaudite muneribus.

GEOMETRIA.

Admiratur quod Orbis Conditor in Caroli pectore condatur.

CARMEN XI.

GNoſſiaci fugiens Minois, Dædalus arces,
Inſuetum penna præpete currit iter.
Obſtupui gelidas cum plumifer iret ad Arctos,
Cum peteret Cumas, Euboicaſque plagas.

Ille

Ille tenens medium, ſuper æquora, & aera motum
Remigio alarum, membra volaſſe dedit.
Prima Syracuſio fabrefacta eſt ſphæra Magiſtro
Qui juſſit vitreo volvier aſtra polo.
Obrigui, modico Chriſtalli pondere ſpectans
Immenſa ætherei balthea Zodiaci.
Illic Parrhaſides Arctoi cardinis Urſæ
Splendebant: tremula luce micabat Olor.
Perſeus anguineum ſtricto caput enſe ferebat
Pellicis: Orion ante fremebat Hydram.
Illic lanigeri tergum, Cephæa puella
Fulſerat: & roſeis Caſſiopea genis.
Nec Bereniceum deerat, ſertumque Ariadnæ,
Aut fera Mȩnalii robore victa Dei.
Obſtupui fateor: Sed cum te Carole cernam
Mira hæc non miror; ſed ſtupor omnis abeſt.
Nam tu dum celeri volitas ad ſidera curſu:
Nectitur haud dorſo cera liquata tuo;
Sed tibi dia Fides, Spes altaque mutuat alas,
Et cæleſtis Amor ducit ad aſtra gradus.
Sic etiam vitreum, poſtàc non miror Olympum;
Cum nunc viva tuo pectore, ſphæra micet,
Quam non armille, aut radius, quadrumque peregit,
Neve mathȩmaticis ſtructa figura rotis.

Cudit

Cudit at æterni celsissima dextera Fabri;
　　Et superi vivum condidit axis opus.
Illic augusto fulgescit sidere Virgo
　　Uritur & sacro Dia puella foco.
Illic germano resplendet Castore, Pollux;
　　At geminis animis, fulgurat unus amor.
Lance pari stat Libra, dies, & noctibus æquat;
　　Taurus siderea cornua fronte gerit.
Nec non, Cancer inest, Leo flāmifer, Amphora, Piscis,
　　Et Phrixæo Aries vellere, membra tegit.
Quin immò, angusto Numen concludis Olympi
　　Pectore, quod Mundum condidit, astra regit.
Mira Fides, ut parva Deus componere magnis
　　Gaudeat! ut famula delicietur humo!
Sidera qui torquet, nutu qui concutit axem
　　Sæpius exiguo vivere corde cupit!
Quid non cogis Amor? cui flamma pepercit Erotos?
　　E' superis ad nos avolat ipse Deus!
Hæc Ego mirabor, sola hæc magnalia cernam,
　　Cætera despiciam, talia voce canam.
Stringitur in Carolo, qui sustinet indice Mundum.
　　Quemq; poli haud capiunt, pectoris urna capit.

OPTI-

OPTICA.

Despectis cæteris visù pulchris, ad solam Carmeli viriditatem convertitur.

CARMEN XII.

OPtica, quæ superas tueor lætissima sedes,
Quæ vaga sidereæ lumina cerno plagæ
Cuique Dioneos Cypris demonstrat amores,
Cinthia nec rosea cornua fronte negat,
Et quæ luminibus pelagi miracula poto
Quasque vehit refluas Oceanitis opes:
Desino jam Cœlo convertere frontis ocellos:
Nec venit ad superos impetus ire lares
Divitias, quas nutrit Eos, quas Bosphorus undis:
Vilia sunt oculis munera nota meis;
At quæ, Carmelus viridanti culmine servat:
Sunt nimis hæc oculis munera cara meis;
Illius umbroso Zephirus dulcissimus antro
Me vocat, atque suis aura jocosa sonis,
Illius invitant ruptæ de cespite gemmæ,
Arbutaqe ingentes expatiata comas
Alliciunt fontem, fontis, sociatque susurros;
Dùm canit è tenero palmite dulcis avis.

Hic & odoriferis æternùm vivere pratis
Gaudet Flora, Noti nescia damna pati:
Hic purum Narcisse caput, fragrantia colla
Exeris hic pictum Cariophille jubar.
Hic mixtus niveis splendes Amarante, Ligustris:
Et Granadille tui munera pandis hyber,
Tuque colorato Tulipa exornata decore,
Porrigis hic varias, Iridis instar opes.
Est locus in medio collis, fons eminet inde,
Qui vitreas riguo gurgite, fundit aquas
Lympha fugax, huc atque illuc sata florida rorat
Lympha, vel antiqui nomine sacra Patris.
Circumdat plenis arbusta virentia ramis,
Et potant latices præcopa poma suos:
Vos igitur fontes, patulæque umbracula vitis,
Et nemus, & cultæ vallis apricus ager,
Postàc sola mei spectacula luminis este,
Vos precor obtutus pascite sola meos
Vivire felices, oculorum pabula colles,
Intuitus nostri, deliciosus amor.
Nunc speciosa tuis ubi crescunt munera clivis;
(Namque tuas Bruno semper adauget opes)
Despiciam maris, & terræ speciosaque Cœli,
Pulchrius hoc omni lumine, lumen amat.

HYDRO-

HYDROGAPHYA.

Eliæ fontem colere, cæteras aquas despicere statuit.

CARMEN XIII.

SI quandò Driades, virides interque Napeas,
Lusimus algosis crinibus, uda caput,
Seù potius laticum cursus, undæquè susurros
Hausimus, ad rivos exilientis aquæ:
Doridis, aut inter teneras admixta puellas
Æquorei fuimus sedula cura chori :
Jam nunc flumineæ valeant, mea pompa Sorores,
Et valeant salso vortice, Nereides.
Sat vada muscosis prospeximus ista scatebris,
Sat fontana cavi vidimus antra laci.
Scilicet ut vario descendat spumea gressu ;
Ut demissa suis evolet unda tubis,
Quæ nunc imbriferos properè sinuetur in arcus,
Nunc testitudinea permeet arte solum.
Sæpè etiam subito feriat vestigia nimbo,
Et mox sedato turbine, roret humum.
Sat, sat, cæruleos prospeximus æquoris æstus
Inter pacati murmura grata maris,

Ut non Eoliis Tethys violetur ab auris;
Sed lambat littus fluxile marmor aquæ:
Quà fortunatæ fulgent Crateris arenæ,
Vel quà Lucrinus cerula dona fovet:
Cimothoes choreæ, Neptunia regna valete,
Sat placuere gradus ò Galathea tui.
Nunc juvat Eliæ ad fontem convertere corda;
Et colere, & fas est, hæc celebrare vada:
Salvè Thesbitis Sanctissima limpha Prophetæ.
Tù verè ætherei liminis es speculum.
Te circum non nuda Dryas, Satyrusque bicornis,
Vel gaudet celeres ferre Napea pedes,
Sed vitreos Cœli circumdant Numina fontes,
Hæcque poli Charites alvea sacra colunt.
Quã vellet caput his immergere Phœbus in undis
Occiduo temnens mergier Oceano!
Fluctibus his mersus sua ducere plaustra Bootes,
Vellet, & undivago naufragus ire vado!
Roscida quàm cuperet lacrymas Aurora fluentes,
Linquere, & Eliæ fundere fontis aquam!
Ergo mihi tù sis Christallina limpha voluptas,
Tù sis cordis amor, limpida Vatis aqua.
Credideram è Cœlo sanctos descendere rivos,
Qui nunc Carmeli prata beata rigant.

Sed

Sed tibi, quæ ſuper eſt Cœlos aqua mittit honores,
Et quæ ſidereo lacte fluenta ſcatent.
Namque tuas Domini fertur per Spiritus undas
Ipſe Deus placidis his requieſcit aquis.

TOPOGRAPHYA.

Particularem locum, nempè Veſuvium ad Brunonis laudes convertit.

CARMEN XIV.

ME quoq; Palladii furor entheus impetit œſtri,
Et meus ad Caroli eſt impetus ire calor.
Carminibus noſtris non illaudatus abibit,
Vltima nec tantæ gloria lucis ero.
Sum potis ignitas montis convertere linguas
Flectere & ad laudes culmina ſumma ſuas?
Veſuje Trinacriæ (mora nulla) ò Æmule flammæ
Dic, precor ingreſſus gaudia quanta Patris?
Audite ò Superi, vicinæ Tethyos undæ
Ignivomus collis, quos ciet ore ſonos?
Ingredere Herculeos Carmeli gloria campos
Amphytrioniadis regna vetuſta pete

Hæ

Hæc plaga, fumoſo ſemper famoſa camino,
Non minus annoſo fertilis ora mero,
Deſpicit Alcidis, Bacchi renuitque decores,
Quæque ſub ulmifero palmite dona nitent:
Hùc tu dum fauſto nunc dirigis omine greſſus,
Et celeres gaudes hùc glomerare gradus.
Poſt Lybicos tulit hùc perventùm Fama triumphos
Alcmenà genitum, Fana dicaſſe Diis.
Nam placuit tellus, Cœlumque affine Veſevo.
Eſt ubi perpetuò germine ruris honor,
Hic ubi odoratis geſtit flaveſcere pomis,
Autumnus, Scythicas nec timet ora nives.
Sic Nomen, Numenque dedit, Tyrinthius Heros
Quà divina ſolum ſtemmata ſervat adhuc.
Hos etiam colles, plus Niſæ Bacchus amavit,
Dilexit bromiis, hæc mage muſta cadis.
Hic etenim numeris inflectere membra canoris,
Hic placuit, dulces promere voce ſonos.
Vidi Ego largifluo ſata vina bibiſſe racemo,
Et dixiſſe ſat eſt, hic mea regna manent.
Hæc tamen adventu vileſcunt omnia tanto,
Nunc procul à noſtra ſede, vetuſtus honor.
Cum nuper nebulis ructarem incendia nigris
Emoveremque cavo flammea ſaxa rogo

Non

Non fuit Herculeos animus vaſtare novales,
Urere, non rabida tam ſata culta face.
Feſtivus fuit ille focus, lætuſque caminus
Innocuo tantum lambimus igne polum.
Et quæ terrificis horrenda tonitrua bombis
Fudimus, his feſto diximus ore veni.
Si Siren placidam cantu Crateridis arcem
Mulcet, & auratum Carmine pangit ebur
Veſujus hinc feſto Carolum terrore ſalutat
Miſſilibuſque ſuis ignibus inquit Ave.
Jure ergo Alcidis, renuo, Bacchique favores
Sit Caroli ingreſſus, verus & unus honor.

F I N I S.

NATI-

NATIVITAS BETHLEMICI INFANTIS.

CARMEN XV.

HUc properate gradus, celeres hùc flectite cursus
  Est ubi Bethlea parvus in arce Deus
Festinate viri: Festis en cantibus Æther,
  Et triplici Phœbus lumine signat iter.
Scilicet in duris Infans projectus aristis
  Stramineo relevat lactea membra thoro,
Quem modo Jesseo peperit de germine Virgo,
  Quem tenet alpestri concava rupe silex.
Maturate viam: mæstas depellite curas;
  Solvite corda metu, solvite fauce sonos.
Hæc est illa dies, roseo qua lumine primùm
  Parvula nascentis cernimus ora Dei
Isacidæ quoties optarunt visere Patres!
  Hanc quoties votis ingemuere suis!
Cernite Virgineo lætentur ut omnia partu!
  Flat Zephirus, Zephiro quælibet unda silet.

Per-

Perſonat Angelicis, lætus concentibus æther!
　　Mille ſonant, ſuperis nablia feſta plagis!
Mille coloratos, producunt germina flores!
　　Pinguntur vernis gemmea prata comis!
Naſcitur æterno ſoboles æqueva Parenti,
　　Pax Superum, Verbum Numinis, Orbis amor.
Quem Dominum noſcit tellus, cui paret aquarum
　　Moles, cui Regi militat Æthra ſuo.
Naſcitur, & priſcæ pereunt veſtigia culpæ,
　　Polluto impurum profugit orbe nefas.
Solvitur æterna vinctus formidine Mundus,
　　Ad Cœlum è terris, hoc Duce facta via eſt.
Geſtiat orbis io, pax aurea circuat orbem,
　　Pace micet tellus, ſidera pace micent.
Sed tibi Dic puer, placidam Præſepe quietem
　　Conciliat? vilis faſcia membra tegit?
Cur te non tyrio cingunt ſata vellera ſucco?
　　Nec tibi ſydonio murice lana rubet?
Quid non tecta nitent, phrygiis innixa columnis?
　　Nec ſurgit pario marmore ſtructa domus?
Sit ſatis humana Mundum luſtraſſe figura
　　Alme puer, terras ſit coluiſſe ſatis.
Sit ſatis æternos Cœli liquiſſe penates,
　　Sitque ſatis, patrio deſiliiſſe ſinu.

Ah quàm te tetigit nostræ miseratio cladis!
Quantur amor dio stat tibi corde puer!
Ausus amor, Mundi lapsis succurrere rebus
Te jussit, rigido sternere membra solo,
Dius amor jussit latebras intrare ferarum,
Dius amor, duras sustinuisse niues.
Idem te quantos olim tolerare labores!
Quanta olim coget tristitia fata pati!
Auguror: exanimem duro te robore figet,
Teque adiget diram sustinuisse necem.
Heù sileam; teneras lædam ne Virginis aures,
Namque silet, gemitus mox dabit illa suos
Intereà magnæ miracula visite Prolis,
Hæc potis est vobis pandere sola fides.
Fundite purpureos flores, date lilia cunis,
Vestraque nascenti corda dicate Deo;
Nec puer his majora petit; vos astra parate
Luminibus nato fulgere Sole novis.
Ergo alacres, lætoque viri sic dicite cantu
Æterna est nato Numine, nata salus.

A D

AD CRUOREM
E'
IESU PUERO
CIRCVMCISO DEFLVENTEM.
CARMEN XVI.

THesauros, quos gignit Eos, quos fundit
Hydaspes,
Quos alit Occiduis Oceanitis aquis,
Vel qua puniceo ditescit murice Tethys,
Vel qua Sidonio littore fundit opes
Despice: seù Siculo rubuere corallia ponto,
Seù flagret assirio sanguine, pota chlamys
Vilis quisque cruor, vili saturata cruore,
Vilia sunt oculis, gemmea dona meis.
O' valeant post hàc, Tyrio fucata veneno
Vellera sanguineis, dedecoranda notis.
O' valeat ridens prati decor omnis, & omnis
Gratia, purpureæ parta nitore rosæ.
Sivè tuos Hyacinthe, tuos seù pulcher Adoni
Sanguis alat flores, seù sata rura riget.
Nil nisi mæroris, foliis inscribit amoris,
Nil nisi spinarum conserit iste cruor.

At (cæleſtis Amor, parvo quem flumine fundit)
Aurea pro pretio ſidera ſanguis habet:
Nempè tuo ſic unda rubet, ſic nobilis oſtro
Decidit è membris alme puelle tuis.
Nobilis unda fluit, fluctuque beatior omni
Deciduo præceps fluctuat imbre liquor.
Quàm cuperet Titan, his naufragus ire ſub undis,
Divite & auratas mergere fonte comas.
Fluctibus, his loti, ſua flectere plauſtra Triones
Vellent, & roſeo delituiſſe lacu.
Tempeſtas pretioſa, tuis agitata procellis
Naufraga, vel raperet ſidera belle cruor.
Hoc mage Phæbeos videas igneſcere crines,
Hoc Aurora ſuum pingat in amne caput
Currere ſanguineas ſi quis, mirabitur undas,
Et Cœlum omne tuo fluxile fonte vehi.
(Cùm fluis alme cruor tecum lacrymantur amantes)
Commiſtas lacrymas dicat amoris habes.
Dicat amoris habes arcum, gravidamque ſagittis,
Nec pharetram exoptas, omnia amoris habes.
Ad tua tela cruor, rutilis animata favillis
Cæca ſoporatus lumina, Phœbus habet.
Quidquid alit Ganges, quidquid Pactolus arenis,
Quidquid agit celeri turbidus Hermus aqua,

Vile

Vile tibi pretium reor; & si Aurora nitentes
    Prodiga sidereo rore, liquaret opes
Tethyos hinc omnis merces, hic omnis Erithræ,
    Hinc rubet Eoi lucida concha maris.
Hinc Tyros, hinc rosa purpureos hinc forte colores
    Luna subit radiis invidiosa suis.
Nunc ò crudescat Boreas, modò gutta rigescat;
    Præpes & attonito sanguine sistat iter,
Sordida sidereos neù sugat terra liquores,
    Neù tam purpureo flumine dives eat.
Siste puer, teneros siccare cruoribus artus,
    Siste quid in pluvias sanguinis ire juvat?
An properas sparsisse rosas, & sanguinis ostrum?
    Astra carent ostro, lux & Eoa rosis
Effera nec tantùm potuit sævire leena,
    Armeniæ tantùm nec potuere tigres;
Non omnes potuere feræ crudescere tantum;
    Quantum te contrà sævit inermis amor.
Num te projectum dumosas inter aristas
    Antra pati tacita nocte coegit amor?
Num rigidas ventòrum animas illudere juvit
    Obvia & arctoo tradere membra gelu?
Ah lapis est! quicumque tuos, nec mæstus ocellos
    Neve pia teneros ebibit aure sonos!

Hei

Hei mihi cur ſævos geminare puelle dolores?
Cur cupis in pœnas Dædalus eſſe tuas?
Pupule ſi neſcis in me crudeſcis amantem,
Et meus ex iſto vulnere ſanguis abit.
Ecquis amor docuit, tot funera cernere amantum,
Totque animis uno vulnere, ferre neces?
O' Ego ne poſſim rores haurire cruentos:
Eſſe velim captus lumine, cordis inops.
Parce precor latici roſeo, jam parce cruori,
Neù terris largo flumine vilis eat.
Sit ſatis alme puer foveas penetraſſe ferarum,
Nudaque ſtramineo membra locaſſe thoro.
Sit ſatis hybernæ ſubiiſſe incommoda brumæ,
Sit ſatis alpinum ſuſtinuiſſe gelu,
Sit lacrymas fudiſſe ſatis, tepidoque decoras,
Ceù Phœbo ſimiles imbre rigaſſe genas
Vota cadunt: Variis obmurmurat unda querelis,
Quin mage præcipiti deſilit unda pede.
Scilicet, hinc largos roſeus cruor, ibit in imbres,
Quos bibat irriguo flumine, potor amor.
Has ubi pœnarum flagrans amor, hauriat undas:
Fonte ſciat roſeo: pellere poſſe ſitim.

DIVA

DIVA ELISABETH
OB SECESSVM
BAPTISTÆ
SEPTENNIS IN DESERTO.
CARMEN XVII.

Ergo ne Nate, tuam potuisti linquere Matrem?
Scilicet ad silvas, tam citò ferre gradus?
Tanta ne, te patrii cæperunt tædia tecti?
Tantus amor, rupes, & nigra tesqua sequi?
Æneus ille fuit, fuit ille adamantina cautes,
Qui primus patrio prætulit antra thoro.
Dic quid nate juvat spelea subire ferarum,
Quà nulla humano semita trita pede est?
Non teneras lædunt hyemalia frigora plantas?
Non terit imbellem deflua bruma cutem?
Exue crudelem sanguis meus, exue mentem;
Quin celer ad patrios nate recurre sinus.
Hei mihi quid juvit superos flexisse precando?
Quid juvit steriles intumuisse sinus?

Si nunc

Si nunc antra, meo dira antra fruuntur ephebo,
Illa fovent animæ dimidiumque meæ.
Non ego te gelidis occurras rupibus Horman
Optavi; Bethagis neve moreris agris;
Sed tecum ut longæ ſatiarem gaudia vitæ,
Et rueret gremio noſtra ſenecta tuo.
At mea nimboſæ rapuerunt vota procellæ,
Fudit maternas ventus, & aura preces
Ecquæ tanta fuit ſilvas tibi cauſa colendi?
Quis furor, urbanos deſtituiſſe lares?
Forſitan alpeſtri tantum benè vivitur antro?
Aut ſolum agreſtes ſunt ſine labe plagæ?
Falleris: Expertem noxæ, ſine crimine vitam
Crede mihi urbanas vivimus inter opes.
Eſt tibi Progenitor, quo non eſt juſtior alter,
Et Mater, qua non altera candidior!
Illius auſpiciis Divorum altaria fumant,
Sacrificata ſuo ſunt holocauſta foco,
Nec mea ſacrilegæ mens eſt ſibi conſcia culpæ,
Nec cor ſollicitant, impia geſta meum.
Sed ſi tantus amor, rigidos penetrare receſſus,
Et juvat urbanos deſerviſſe focos.
Vade age: parce tamen precor, his puerilibus annis
Sit pretium parvæ contribuiſſe moræ.

Scili-

Scilicet hoc placeat, tùm, cùm robuſtior ætas
 Venerit, & firmo, firma juventa gradu.
Tunc poteris gelidas montis calcare pruinas;
 Tunc poteris duras ſuſtinuiſſe nives.
Nunc tibi dura nocent *hybernæ* frigora brumæ,
 Vel ſi cum pluvio Juppiter imbre ruit;
Nam tua per teneros ætas nunc incipit annos,
 Natalemque tuum, ſeptima vidit hyems.
Me miſeram Zephyris jacto mea verba, preceſque,
 Teque juvat ſilvis degere, more feræ
Fama refert, ſtrophio pectus texiſſe bidentis;
 Molle ſed & duro fune, ligaſſe latus.
Fama refert, collo tegumen tribuiſſe camelos,
 Ruſticaque indignas mella dediſſe dapes.
Hæc Ego dum recolo, gelidus formidine ſanguis
 Hæret, & ex oculis humida gutta cadit.
Quin meditor: tellus forſan gerit illa colubros?
 Quis ſcit an immanes nutriat illa leas?
Quæ rabidis dulces lanient mox morſibus artus?
 Quæ tua mox avido viſcera dente vorent?
Nox quæ tellurem fuſcis amplectitur alis,
 Feſſaque nectareo membra ſopore rigat:
Languida non umquam mulcet mea pectora ſomnō
 Heù fugit ex oculis umbra benigna meis

Hærent infixi, materno pectore vultus
Queis vaco; ſed geniti ſemper imago manet
Te meditor, nitidum ſeù, Sol caput exerat undis,
Seù Tarteſſiaco gurgite, condat equos.
Sidera ſint teſtes, nocturni lumina Cœli,
Sunt quoties lacrymis ſollicitata meis!
Crudeles ſilvæ: nati fera culmina fures,
Et geniti raptrix ſæva caverna mei:
Ne tua ſit tanti, modò ſit tuus incola natus,
Ne tua ſit tanti, ſit tuus ille comes.
Auguror: hic Regis veniet præcurſor Olympi,
Hic erit, æterni prævia Solis Eos,
Hic erit, hic dium populis, qui denotet Agnum,
Quique illum vitreis abluet amnis aquis.
Quare ne tantam ſilvæ mihi vellite prolem,
Redde precor lumen, cæca latebra meum
Sic vos fulmineis non terreat ignibus Æther,
Nec virides cædat, falx inimica comas.
Ah quid ego precibus ſilvas, antrumque laceſſo,
Si modo te ſurdis auribus, eſſe juvat.
Si te nulla movent Matris pia verba rogantis
Te flectat, Patris pars quotacumque, dolor.
Reſpice Zachariam, ſera modo prole beatum:
Mox miſer innumeris fluctuat ipſe malis.

Imbre

Imbre madent oculi, fœdantur fletibus ora,
Tundit & infesta, pectora nuda manu:
Te vocat absentem, te te suspirat euntem,
Et de te noctes cogitat, atque dies.
Interdum vovet, interdum quod longius absis,
Dicit in alpestres aspera verba plagas.
Eja age: quam primùm dumosos desere lucos:
Ah tibi ne noceant frigora dura, fuge.
Sit tibi cura tui, cari sit cura Parentis
Fac properes cupido, portus & aura Patri.
Tunc ego qualis ero, canis annosa capillis,
Te foveam gremio, sarcina grata meo.
Mixtaque dem centum, cum dulcibus oscula verbis,
Hærebunt collo, brachia nostra tuo.
Hunc precor, hunc portet nobis Aurora micantem
Luciferum, læto Bosphore perge die.
Bosphore redde diem, ne Patris gaudia differ-
Displicitæ tandem, tædia rumpe moræ.
O' niveas luces ò aurea tempora: quando
Te tibi restituent, restituentque Patri.

A D
DIVUM THOMAM AQUINATEM:
CARMEN XVIII.

O' Cui ſidereos Orbis largitur honores,
Thomas, cui ſuperas Cęli dat Regia pompas
Salve, pennigeris honor auctus Aquinas ephebis.
Ecquis amor noſtræ properaſſe ad limina ſedis
Carmelique hilari ingreſſu luſtrare penates?
Noſco animos, noſcoque tui, quam prodiga virtus
Velle pii noſtrum ſolari munus amoris.
Quandoquidem lux illa micat, lux illa quotannis,
Quæ rediens, ſacra nobis fert ſolemnia, queìs tu
Devictis ſuperum terris allapſus es axem.
Nunc ubi feſtivo tellus, plaudentibus aſtris
Aſſonat auſpicio, ſonituſque audire tubarum
Fas eſt, & multa luceſcere lampade Cœlum:
Nos quoque Carmeli pubes, quo poſſumus auſu
Luce ſacra, plauſus geminantes dulcius ambis

Colle-

Collectos manibus flores donamus odoros.
Palladios etiam partus, tabulasque sacramus
Proceris titulis, & vera laude refertis.
In queis, seù liceat Naturæ pandere causas,
Seù magis edocti, latebras volitare per entis,
Quidquid id est, semper Thomę petit æthera nomen;
Me tamen (exiles quamvis sint pectore voces
Vixque potis tenui meditari carmen avena)
Nunc deceat, capta testudine, tangere nervos,
Et septem numeris discrimina pandere vocum.
Adsis Calliope, Diuumque hominumque voluptas,
Tuque adeo Thomas, fœlicibus annue cæptis,
Atque tuo tenebras (quem defers pectore) Sole
Discute, neve sinas mentis noctescere lumen.
Incipiam. Quàm læta fuit, quo plena nitore
Illa dies, quà tu primævi luminis auras
Hauseris ò Thomas, vitam biberisque recentem!
O' quas Parthenope voces tunc fudit ovantes!
Quà, præter solitum dulcedine, gaudia sorpsit!
Illa mari patrio, Siren, nunc littora propter,
Nunc iterum, medias excurrens Doridis undas:
Concentu mulcere polos, sine fraude studebat:
Quam Glauci, Phorcique retrò grex cærula cantu
Tacta sequębatur, despecta gurgitis esca.

Præci-

Præcipuè, humentum, ſenior generator aquarum
Sebetus (quem juxtà hilari ſtant fronte Napeæ,
Omnes nudæ humeros, virides pexæque capillos),
Lætantes veſtit vultus, & purior urna
Fundit aquas, cernens latè floreſcere ripas.
Mox ait: hæc quondã memini mihi gaudia, Protheus
Narrabat, Protheus mendax ſi cætera Vates,
Attamen haud vacuum fudit tunc pectore carmen.
Adveniet Sebete tibi (mihi crede) puellus.
Dicebat, claris de Regibus orta propago.
Qui te Danubium ſuprà, Gangemque, Padumque,
Et Tigrim, Nilumque ſupra ſeptemplicis oris
Tollet, Sideribuſque tuos æquabit honores.
Hic erit Angelicus dictu, bos mutus Aquinas.
Qui tandem fractis linguæ reticentis habenis,
Mugitu terrere Stygem, terraſque novare
Gaudebit ſonitu, Cœloſque replere boatu.
Hic erit Alcides alter, face fretus amoris,
Qui ſeptemgeminam cervicem conteret Hidræ
Hæreſeos, quò plus ructaverit ore venænum,
Et tandem ceù Sol radiis luſtraverit orbem,
Cùm medium ſecat ille diem, ſalit altius axem.
Hæc (Protheum memorans) Sebetus, fuderat ore,
Futilis haud augur, venturi præſcius ævi.

Mox

Mox quæ prædixit vidit properantibus annis:
Nam cum pubeſcens Thomæ floreſceret ætas,
Prima nec ante genas roſeas, lanugo vireret:
Omnis virtutum patuit ſibi ſemita, curſu
Quale Gygas propero, duri ſubit ardua callis.
Ille, latebroſos Sophiæ penetrare receſſus
Se ſolo eſt auſus, Naturæ & noſcere cauſas
Viribus ingenii, nulloque docente Magiſtro.
Scilicet aſtrorum, quæ vis animaverit ortus?
Et quo perpetuo Mundi ſtet machina motu?
Quis trahat è terris nubis vigor? imbrifer unde
Fœcundet campos, conteĉtâ Juppiter Æthra?
Undè rigor, candorque nivis? Cur aera venti
Eoliis ſpecubus palantes, ore flagellent?
Quid memorē cādorem animi? Quę pectore Thomę
Lactea virginitas cœleſtibus Æmula Divis?
Olli(cum rigidæ ſervarent juſſa Parentis
Incluſum caſtro, pro Relligionis amore)
Adfuit Idaliis edocta miniſtra lyceis;
Quæ puerile dolis pectus mox fallat inerme.
Illa ter, illa quater palmas extendit, & artus
Fœmineos voluit vicino jungere tactu.
Reppulit uſque puer: ſed jam non oſtia cernit
Prompta fugæ, clauſique vetant erumpere poſtes:

For-

Fortius instaurat, dùm Cypria bella puella,
Nec jaculis armare manus, armare nec ense,
Fortè datum Thomæ: strato videt ecce camino
Flammigerum torrem, focus illi præbuit arma,
Elatoque puer, pavidam fugat igne puellam.
Ex tunc Aligeri meruit famulantis honorem:
Quippe bibisse dedit totos Sapientia fontes.
Unde nec arcanæ Triadis latuere recessus
Illum, nec Charitum secreta obstructa fuerunt.
Scivit enim, qua mente, Parens fœcundus, in ipsum
Lumina dum flectat, sua contempletur & ora
Unigenam generet patrio de pectore prolem,
Semper & æterno turgescat pignore fœtus:
Dumque pari flammæ nascantur amore vicissim,
Ex Patris & Geniti veluti de fonte perenni.
Elicitur mora nulla triformis forma: beatus
Spiritus, almus Amor, fax Numinis utrius una.
Sic etiam scivit, qua vi, Charis ubere Cœli
Plena, hominum mentes faciat prorumpere in actus,
Et tunc (mira fides) fit libera mota voluntas.
Illa tamen Thomæ major laus extitit Orbi,
Detexisse sacros diæ sinaxis honores.
Scilicet, ut parvo latitet sub mergite Numen,
Sub nive triticea condatur Conditor Orbis,

Qui

Qui se divinis epulis committat edendum,
Nosque velit Superúm mensis accumbere Diuûm.
Sic quoque sub Bacchi quanam virtute figura
Extet sanguineus mentita veste Tonantis
Fons? Ubi sacrificus deprompsit verba, Sacerdos
Nostram rore sitim, Dioque cruore levandus.
Vocibus his Mundum docuit, sic terruit Orcum,
Sic caput hæreseos ter sustulit Amphysibænæ:
Tantus honor terris Thoma didicisse Magistro.
Demum vitales biberet cum spiritus auras,
Vix, & postremos vitæ sentiret hiatus:
Cantica concinuit Sapientis sacra Dinastæ:
Explicuitque Sulamitidis cantantis amores,
Quale solet, moribundus olor per stagna Caistri
Aera mulcentes è gutture fundere cantus.
Tu modò pennigeros inter numeratus Athletas
Angelicum terris es adeptus nomen Aquinas;
Nec fudisse polo sacrarum flumen aquarum
Desinis; unde suos fundat Sapientia rivos,
Quos bibit ore tenus, quisquis vult lambere rores;
Fortius aut alter sitibundus flumina sorbet.
Præcipuè Carmelus, aquas de vertice summo
Colligit, Eliæ fonti miscetque verendo,
Quas super Æternus Monadis nat Spiritus undas,

Quasque modò tanta tibi Thomas sorte dicamus;
Hæc igitur nostris cape munera debita votis,
Hæc cape perpetuo, nec amori dona neganda
Detineantque tuos oculos, queis astra serenas:
Annua dum redeunt celebri solemnia ritu
Festivoque diem, temone tulere jugales.

D. ANTONII

MUSETULÆ

Equitis Neapolitani, & Poetæ celebris:

GENETHLIACVS.

CARMEN XIX.

QUisquis adest faveat, doctis qui collibus Isthmi
Pegaseæ celebres ebibit unguis aquas;
Vos modò Pierides, longos benè pectite crines,
Daphnæaque sacras cingite fronde comas:
Aoniis vireant plus laurea stemmata siluis,
Largius Ascreis amnibus vnda fluat.
Musetulam canimus, Musæ vos quæso fovete;
Et nitidus claro lumine, Phæbus eat.

Vestra

Veſtra eſt iſta dies: dantur ſolemnia Vati,
Pierii colitur gloria magna chori.
Felix heù nimium Sirenis patria tellus,
Dextera cui tantum Fata dedere virum.
Neù ſibi Smyrneo tumeat tam Grecia Vati,
Provocat haud noſtram Mantua Parthenopen:
Huic omnes fauere Deæ: dedit augur Apollo
Bellorophonteo mergere labra lacu.
Non hic ſeptenis impellens barbita nervis
Movit pangeo thracia ſaxa ſono;
Nec geticas Ornos, aut agmina dira ferarum
Traxit, biſtoniæ concita voce liræ,
Sed lepidas Charites, Paphios, & amena vireta,
Et Cypriam terno traxit ab axe Deam,
Et rigidos animos, rapuitque adamantina corda,
Movit & humanæ pectora dura feræ.
Æthereas animas teſtor: Vos ſidera Cœli
Dicite, quæque meo laberis aura polo.
Plangimus heù quoties, ægrum teſtudine amorem,
Ipſe cava ſolans fila canora ferit,
Sivè ſuos caſti ſuſpirat pectoris ignes:
Cogimur irriguas ſolvier in lacrymas.
Mox, ſive Hetruſcos percurrit floriger hortos
Me Zephiri, & Floræ currere regna puto.

Seù canit Hesperidum feralia funera amantum
Palleo, nec gemitu lumina mæsta vocant.
Seù tragico tangit mærentia plectra cothurno:
In formas Protheus mille, decenter agor.
Quid referam raucis inflat cum cum classica sistris
Mæonioque libet cingere Marte nemus?
Jam glomerare manus fas est, jam ducor in arma,
Et juvat ardenti bella ciere gradu.
Jam, jam curvato torquemus spicula cornu
Aereas condunt martia pila plagas.
Sulphureis video resonare boatibus Æthram,
Et piceos fumum tollere ad astra globos.
Sic auriga, solet spumantia Thessalus ora,
Nunc hùc, nunc illùc flectere Cornipedis;
Què modò calce citat, rapidas modo vergit in auras,
Mox jubet æquato flectere crura gradu.
Non aliter nostras animorum torquet habenas,
Non aliter mentis pondera nostra regit.
Laurea Pegasides vestro date stemmata Vati,
Cingite purpureis tempora docta rosis
Fallimur: exiles laurorum auferte coronas
(Si mereant) aliis nectite serta Deæ.
Nam cum Musetulæ dulcissima plectra sequantur;
Spontè suas tangit laurea silua comas.

I N

IN OBITU
D. JOSEPH
BAPTISTÆ
EXIMII VATIS
LATIO, ET HETRVSCO IDIOMATE.
CARMEN XX.

ERrgò funerea frontem velata cupreſſu
Huc. adſis, mæſtas Muſa ſoluta comas
Flere decet, Sebete tuas age gurgitis undas,
Auge, & funebri currere diſce pede.
Vos patrii colles, innataque culmina flete
Flete precor, fatum hoc flectere ſaxa poteſt.
Occidit Hetruſcæ celeberrima fama Poeſis
Baptiſta, & Latiæ gloria ſumma lyræ.
Cui geminas Phœbus redimiuit fronte coronas,
Laurea cui duplex ſerta relegit honos:
Occidit: Heù quantos rapuit mors una triumphos!
Quot palmas una funere Parca metit!
Scilicet & cunctos urges Mors viribus æquis?
Omnibus obſcuras iniicis ipſa manus?

Nec

Nec te Pierii tetigit reverentia Vatis ;
Aut flexit dulci pectine fida chelys ?
Debueras doctæ non stamina rumpere vitæ ;
Stamina non tacta candidiora nive.
Illum non Hermi flexit pretiosa procella,
Aut movit rubri lucida concha maris.
Turgida non rapuit ventosis gloria bigis,
Nec novit vulgi conscius ipse dolos ;
Sed sua Cecropio maduerunt pectora rore,
Socraticoque animus flumine dives erat
Candor erat menti, sunt qualia lactea pratis
Lilia, nascenti roscida Lucifero.
Quidquid & Aonio de flumine anhelat Apollo,
Quidquid & Ascreo fonte Camena bibit :
Legit Pierius numeroso carmine Vates,
Et cunctas hausit Bellorophontis aquas.
Si perimunt nigra fata probos (ignoscite linguæ)
Dicere jam nullos cogor inesse Deos.
Quid loquor ah demens, sævus dolor omnia cogit,
Hic dolor imperii non finit esse mei.
Illum mortalis cæperunt tædia vitæ,
Et fuit in superos impetus ire domos
Pertesus terras Cœlum Baptista revisit
Sic repetunt celsas Numina summa plagas ;

Dum-

Dumque colit ridens ſtellantia tecta, querelas
 Odit, quoſque graves fundimus ore ſonos.
Ite procul gemitus, procul ô ſuſpiria cordis,
 Mæſtitiamque celer trans freta Caurus agat.
Exulat Elyſiis dolor improbus, exulat oris,
 Solaque cœleſti gaudia ſede decent;
Ire tamen gemitus, curæ procul ire recuſant,
 Et redit ad luctus ingenioſus Amor.
Acer Amor mentem, mentem dolor acrior urget
 Unanimes cordi mutua bella gerunt;
Nam cum nulla mihi; ſine ſe ſint gaudia vitæ
 Sarcophagum lacrymis ſollicitabo meis.
Quippè inter ſalices, & opacha vireta cupreſſus,
 Ad ſonitum doleam prætereuntis aquæ
Pergam populeis incidere nomina plantis,
 Baptiſtæ noſtræ falce notata manus,
Et quantum plantæ, tantum dolor impie creſces,
 Creſce, atque in planctus improbe ſurge meos
Popule, quæ patula ilentem me contegis umbra,
 Et de lacrymulæ fonte, rigata vires.
Vive diù, noſtri non immemor uſque doloris;
 Hocque precor tenero cortice nomen habe
Robora dum collis, fluvios dum piſcis amabit
 Baptiſtæ æternum triſtitia fata querar.

D E

DE TELOSCOPIO
A FONTANA ELABORATO.
CARMEN XXI.

QVis mihi sidereos vicinius ire per Orbes,
Et Jovis æthereas dat peragrare domos?
Non Ego Dædaleas agito moderamine plumas,
Non Phaetontea comprimo lora manu;
Nec me per teretes equitantem fortia Zonas,
Gestant Pegasei terga volantis equi.
Dicite quò propiùs nobis rotat ordine Cœlum?
Cunctaque scrutamur lucida signa poli?
Sunt hæc Fontanæ miracula splendida dextræ;
Qui vitro est superos ausus adire lares,
Cui noua debentur Cœli commercia Mundo
Astraque terrenis conciliata plagis,
Edidit hic ternis convexum lentibus Orbem;
Et speculatorem condidit arte tubum,
Ex quo stellarum, vigilem spectare Senatum
Possumus, & Sphæræ transiliisse rotas.
Hoc mihi cœlestes fas est penetrare recessus,
Et venit in celsos impetus ire cyclos,

Hoc

Hoc Solis lustrare domos juvat, aut mage quando
Concolor aurata Cinthia fronte rubet,
Vel cum bellaces Mavors ferus, evomit iras,
Vel qua terrisono Juppiter ore tonat.
Aut si Saturnus, tardo movet agmina gressu
Lentior, & lentas concitat axe rotas
Plejadesque Hyadumque choros, sine nube micātes
Cerno, sed & Cypriæ splendida damna Deæ.
Quid quòd, Marmarici quà flagrant ora Leonis,
Quaque ferunt calidos Sole furente dies:
Visimus, & niveam Andromeden, gelidosq; Triones,
Quà micat Arctoo Mænalis Ursa polo.
Me Berenicæum tangit coma regia sidus,
Meque Ariadneūm vitta plicata caput,
Sed quid Tyndaridas, genialia Numina Fratres,
Parrhasidesque faces, Vergiliasque loquar?
Has potuit sapiens quondam reperire Vetustas,
Vilia sunt oculis astra reperta meis.
Proh mirum! furvo vidi nova sidera Cœlo
Non ptolomeeis lumina nota libris
Aspexi (nunquam priscis inventa papiris)
Obscura ignotas nocte patere faces!
Gloria summa tibi astrorum Fontana reperto r;
Nam tibi debemus, sidera quanta valent.

Non Ego mirabor, Siculæ miracula dextræ,
Quæ potis in vitro fingere signa poli
Illa suum fragili dum mole affectat Olympum;
Picta dat in falsis sidera nare globis.
Hoc opus, hic labor est, veras deducere Zonas;
Linceàque vagos pergere luce cyclos.
Plaude tuo Siren, Fontanæ plaudite sphæræ:
Talia cœlesti flumina fonte fluunt.
Scilicet his Cœli lustramus lumina lymphis
Queis velut in speculo, sidera cuncta micant.
Ergo age: Fama tubis longum mansura per æuum
Fontanæ in chartis regna futura cane,
Vt vitreæ numquam moriantur fistulæ honores,
Nec Fons lætheas iste, timebit aquas.
Ne tibi detecto placeas Columbe profundo:
Si Fontana novos repperit axe polos.

DE RURE.

CARMEN XXII.

RVra cano: comptis adsis hùc Phœbe capillis;
Et faueas dulci, blanda Thalia lyra.

Vos

Vos quoque flava Ceres, Fauni, Dryadesque puellæ,
Et tu pampineis candide Bacche comis
Pandite Vatis opus; viridi me cingite lauro,
Et mea castalio mergite labra lacu
Dicite Pierides, feriit quis vomere terram
Primus? quis junxit sub juga curva boves?
Primus araturos duxit sub plaustra juvencos,
Et teneram rupit Divus Osiris humum:
Credita tunc longis Cerealia semina sulcis,
Consita tunc facili rustica poma manu,
Gemmea tunc varios emisit gleba colores,
Et nituit pictis Dædala terra genis.
O' pereat quisquis Gangis, vel fodit arenas,
Aut legit tyrio germina rubra mari.
Non fuerat melius gemmantem floribus hortum
Construere, & culti ruris honore frui?
Quàm juvat Eoos Solis lustrare jugales,
Dum Flora æthereas replet odore plagas!
Labitur hic fluvius, nitidis argenteus undis,
Hic gelidus fontis gramina rivus alit.
Alitibus resonânt semper virgulta canoris,
Et semper querulo gutture, cantat avis
Hospita deciduis amicitur vitibus ulmis;
Pandit at intonsas æsculus alta comas.

Flaveſcunt, pingues læneo ſanguine colles;
Et nova puniceo purpurat uva mero.
Scilicet alternis ſpumat vindemia labris
Totaque Niſeo munere, terra madet.
Sed citius recolam quot fulgeat ignibus axis,
Quotque pruinoſos nutriat Hybla thymos,
Quam potero innumeros ruris memorare decores,
Quotque ſuo gremio divite, fundat opes.
Salve. Diva parens frugum dulciſſima tellus,
Ruraque florigeris delicioſa genis.
Dum mihi ſordeſcunt inimicæ Vatibus Vrbes,
Et vagus Aſtreæ turbida caſta fugo:
Vos ſequar, & virides campos, intonſaque Faunos
Numina, & Oreadum devia clauſtra colam
Diſcam Ego, depreſſo perrumpere vomere glebas,
Et ſtimulo tardi pungere terga bovis
Seminaque effoſſis ſpargam genitalia campis,
Turgeat ut plena ſpicea meſſe Ceres.
Palmite vitiferos pergam circumdare colles;
Vt cumulent vaſtos pinguia vina lacus.
Non me tædebit, patulos excindere crines
Arboris, & ſteriles demere falce comas
Venerit inſitio: plantæ tunc vertice tonſo
Ruſticus ut dulcem ramus adoptet agam

Colle

Colle pecus pascam, capiamq; sub arbore somnum;
Nam mihi de molli gramine lectus erit
Mox me tanget amor studium exercere Dianæ
Hortabor celeres tesqua per alta canes :
Panaque per silvas, præruptaque saxa precabor,
Vt cadat in laqueos plurima præda meos
Si glacialis hyems pluvialibus irruat Hædis
Festivo hybernas igne levabo nives,
Vel si sub Tropico Phœbęus sæviat ardor
Frondea solares conteget umbra faces.
Hæc præcor eveniant: Vulgi non tristitia noscam,
Et potero innocuis vivere lustra feris
Adsitis nemorumque Deæ, Faunique bicornes,
Tuque tuo toto numine, Phœbe fave.
Sic vos perpetuò non fulmine terreat Æther
Casta sic æternum, sit tibi Phœbe soror.

INVI-

INVITAT

D. ANTONIUM

MUSETVLAM

Equitem Neapolitanum, ut Monumenta Puteolana conspiciat.

CARMEN XXIII.

Torrida non Nemees findit leo fervidus arva,
Nec rabidus calido Syrius axe latrat,
Non gelidas hybernus aquas minitatur Orion
Plejadum rapido, nec furit imbre chorus.
Auriferis Aries reseravit cornibus annum,
Stelles æthereo Portitor Orbe micat.
Pingit humum foliis, gemmantia Flora colorat
Gramina, & Auroram verna salutat avis.
Jam redit arboribus viridis coma, frigore tonsa,
Jam nova de tenero palmite, gemma tumet.
Tēpus adest nitidum, quo priscam convenit Vrbem
Visere, & Æneadum tot monumenta ducum

Anno-

Annosi placeat lustrare pheretra Dycharchi
Antoni, en animos allicit ipse pavor
Quare age vectus equo: celeres huc dirige cursus
Arcta magistrali concute lora manu;
Dum venies: cinis occurret tibi Vatis, & urna
Pinguia qui cecinit pascua, rura, Duces,
Cui Fortuna dedit niveis cunabula Cicnis,
Sed cineres Siren fovit amica sinu.
Atraque conspicies laniati culmina Montis,
Quas timet obscuras Phœbus adire plagas;
Hæc haustis olim gemuerunt rupibus antra,
Et cecidit latio fossa ligone silex.
Ast ubi transieris nebulas, caligine mixtas,
Splendidior nitidos exerit Æthra polos.
Ridet ager, florescit humus, vestitur & arbos,
In viridi turget spicea fruge Ceres
Mox Thetis apparet, nullis ubi jura procellis;
Nam semper placidis littora lambit aquis
Imminet æquoribus, scopuloso Nesis amictu,
Nesis, ceruleo semper amata Deo.
Stagna fluunt passim, tristes pellentia morbos,
Balneaque ignitus fervida sudat ager.
Sulphurei latices, quonam vos dignabor honore
Proxima qui canis fata fugatis Avis?

Per

Per vos Tænarius vacuam fert Navita puppim,
Longaque fatalis ſtamina Parca trahit.
Eſt locus, in medio Titan ubi flagrat Olympo
Fronte ſitus, ſedes qui Ciceronis erat,
Ex quo Peonius, calido liquor effluit amne,
Languida qui riguo lumine fonte levat.
Conſuluit fatum; legitur nam Tullius Orbi,
Vt ſurgant oculos, quæ medeantur aquæ.
Aurea quà graiis nituere theatra columnis:
Vrgetur forti pingue bidente ſolum,
Atque ubi bellaci Mavors pugnavit arena
Ruſtica ſilveſtres fiſtula ducit oves.
Ardent Leucogeis victricia fulmina campis,
Phlægràque ſulphureas evomit ore faces
Vindicis ira Jovis, domitos dedit orbe Gigantes,
Et nunc perpetua fumigat urna pyra.
Poſt tu deſcendes, frænataque Tethyos arua,
Et vetitas cernes tundere littus aquas.
Molibus hunc jactis, Cajus ſuper æquore pontem
Struxit, ut edomitis plauſtra ſubiret aquis.
Hei mihi fumanti eſt tumulata Tripergula flamma,
Impius apricos Mulciber arſit agros.
Mons novus apparet, riguit quæ pulvere cautes!
Prodiit heù molli dura ſilex cinere!

Jam non Lucrinis saturatur concha lacunis;
Exiguum cingit canna paludibus aquam.
Auriferos ramos, & Averni stagna videbis,
Hæc patuit stygiis semita sola focis.
Addita piscoso cernes hinc claustra Lucrino;
Julia ut Eolias sperneret unda minas,
Horrida fumifero fervent Hypocausta camino;
Sed latet inferno condita fonte salus;
Bajanos quæ tacta sinus, via pervia surget:
Hæc erat Herculei Numinis ara frequens.
Victori victos peragrabis ab Hercule Baulos
Ruraque in Elysiis deliciosa plagis.
Saucia sub parvo jacet Agrippina sepulchro;
Sed celebris fato vivit in ore Virûm:
Miseni occurret montis sublime cacumen,
Invida cæruleum cui dedit unda rogum.
Post tu Cumanas gradieris Apollinis arces;
Est ubi Dædaleo sculpta labore silex.
Hic latet innumero sinvosus tramite trames:
Hic deflet Minos, Icarus astra petit
Sacraque Deiphobes veniet cortina Sybillæ;
Immensus quamvis occupet antra cinis.
Hac duce, Tartareas rupit Dux Dardanus ædes,
Transiliit flammas, transiliitque vada.

Hæc-

Hæc cecinit Romæ venturi præſcia ſortes,
Prædixitque tibi barbare Turne necem.
Hinc Gauri poteris generoſos palmite colles
Cernere, quos pleno Numine Bacchus amat:
Obvia nec deerunt Jovis, & Neptunia templa.
Illa nitent gemmis, hæc tumulata jacent.
Cætera quid medi:er ? condas tua barbità Clio
Non hæc ſunt humili geſta canenda chely:
Sed quæ Muſa ſilet; non viſibus illa latebunt:
Tu modo quadrupedis fortia terga premas.

PYTHON SAGITTIS

AB APOLLINE TRANSFOSSUS

AD PATREM NOSTRVM GENERALEM

FR. CAROLUM

F E L I C E M

A S. T E R E S I A,

Dum Herculanum Collegium sua visitatione cohonestaret.

CARMEN XXIV.

ASpicis ut pandat sinuosa volumina Python;
Ex tumidis genitus Deucalionis aquis!
Horridus ut squamis, & tergore, jugera picto
Occupet! ut rabido virus ab ore vomat!
Remigio alarum, spatiosis aera terret
Motibus! horrescit pectora mater humus!
At colubrum sternit; citharæ pulsator Apollo;
Quæque manus plectrum noverat, arma jacit.

Frigi-

Frigida cæruleos subitò mors inficit artus;
    Ille cadit Clarii præda superba Dei.
Tù jaculis stygium potis es superare colubrum
    Fœlix, qui fidium fila movere potes:
Illaque sueta manus, Davidis tangere chordas,
    Mille cruentato tela Dracone vibrat.
Teque manet similis Phœbeæ Carole forma;
    Sic roseum niveo promicat ore decus.
Felix quæ nobis lux attulit ista Parentem,
    Splendidior cunctis, emicet ista dies.
Nunc ubi si quæ sunt purgantur criminis umbræ,
    Et vitium stigiis contumulatur aquis.
Quàm mage fulgescet solito Carmelus Olympo
    Proximior: purum tollet ad astra caput.
Hinc meritò tantos Siren Thyrrena triumphos
    Concinit, & gratum pandit ab ore melos.
Nos quoq;qui gemina colimus cum frõte Vesevum,
    Herculeæ quondam regna vetusta plagæ:
Pierios numeros, Dircæi munera Phœbi
    Pangimus, hic quantum fila canora queunt,
Adventu gaudere tuo, plausuque sonanti.
    Lætari Herculeos igne videmus agros:
Hæc fuerant nuper rabidæ Vulcania flammæ;
    Nunc sunt Elysii regna beata soli.

ÆTAS

ÆTAS AUREA
CARMEN XXV.

FOelix, Saturno meruit qui sæcula Rege:
Sæcula, ter Domino candidiora Jove:
Illum non rigido deterruit ore Tyrannus,
Nec movit rauci concita tuba fori.
Non dum bellaces clamaret ad arma cohortes
Mavors, aut dederat bellica signa tuba.
Non varios puppis contempserat æquoris æstus,
Aut niger inflárat candida vela Notus.
Pectora scissa truci gemuit non vomere tellus,
Aut laniata dedit spicea serta Ceres.
Mella dabant quercus, fluitabant nectaris undæ,
Frugibus alternis, sponte virebat ager.
Lactea lactifluos pariebant flumina rivos,
Ambrosias tulerat Populus alta dapes.
Vndique ridebant culti sine semine flores,
Ludebant Clyties alba ligustra sinu
Lilia pròh quantum niveis argentea conchis
Fœdere gaudebant connubiale rosæ!
Queis nunquam furiit, Boreas baccatus ab Arcto,
Aut venit Meroes Africus, ortus agris

Ver

Ver erat æternum: roſeis Aurora capillis
    Geſtabat nitidas prævio amore faces.
Hæc primæva tulit Saturni temporis ætas
    Aurea: non aurum noverat illa tamen.

RVSTICATOR TEMPORE
VINDEMIÆ
CARMEN XXVI.

ET Clarii, & Tenedi Pater alte, ſeveraq; Pallas
    Ite procul, melicas abde Camena fides.
Me vocat aurifero redimitus tempora cornu
    Ætneo partus fulmine, Bacchus ovans
Bacche fave: jam tempus adeſt, quo nectare fœta
    Aurea calcantes inquinet uva pedes.
Zodiaco radiat minitator Scorpius ictus:
    Proxima jam nituit lumina Libra pari.
Ergo Thyrſigeris comitatus Bacche maniplis
    Huc ades, & lituis ebria turba ſonet.
Quacumque ingrederis plena tibi copia fruge
    Sit comes, ut liquido nectare vina fluant.

Effice

Effice ne teneris viduentur vitibus ulmi,
    Neve soporanti munere, musta vacent;
Sed gravidus tumeat lacrymans sua gaudia palmes,
    Qui lacer obrizas undique fundat opes.
Pressaque purpurei nimbos vomat uva liquoris:
    Non Autumnali parcius imbre pluat
Turbaque vernarum flavas dum comprimet undas
    Dolia deficiant, deficiantque lacus.
O'Ego cum pluvium mirabor lintribus amnem,
    Spumabuntque novo cimbia plena mero,
Quàm Cyatho phialas fundã mage largus Ephebo!
    Quàm tradam arenti gaudia magna gulæ!
Effugiam fluidos lymphis temerare pyropos:
    Heù bibat infernas, qui mera læsit aquas.
Ast ubi Lænei functo certamine Patris:
    Mille hilaris pubes, promet ab ore sales.
Ebriaque incipiet choreas glomerare juventus,
    Gaudebit certis flectere membra sonis,
Ipse suo veniet genius plausurus honori,
    Et centum ludos, concelebretque jocos.
Hæc precor eveniant: tibi sic sit mistica vitis
    Sic niteas longis blande Liee comis.
En combusta sacra crepitat benè lampade laurus,
    Jam læva ætherea Juppiter arce tonat,

Quod

Quod supereſt ævi, thuris tibi Liber odores
Fundam, quos Syrium per mere vectat Arabs,
Et tua pindarico meditabor bella cothurno,
Vectaque de tygribus plauſtra ſuperba canam
Fabor Briſtonii feralia fata Licurgi,
Parthica Niſeis agmina victa choris.
Turgida ſquammigeros;innaſſe per æquora Nautas,
Raptaque Thebani ſaucia membra ducis,
Auroramque tuis ſubdentem colla triumphis,
Strataque Rethei membra Gygantis humo
Per te Gnoſſiacis, micat ignibus aſtriger axis,
Fulvaque Pactoli pallet arena vadi.
Has ego non humili pangam teſtudine palmas,
Tu modo puniceo flumine Bacche veni.

VALETUDO
AUTHORIS
DISCRIMINI MORTIS PROXIMA.

CARMEN XXVII.

JAm Libitina mihi nigram denunciat horam,
Ægraque ſub terras, pergit imago mei:

Sſſ Nec

Nec dum, nigrantes infecit virtice crines,
Nec venit sero; curva senecta gradu.
Parcite pallentes umbræ: quid palmite vitis
Crescentes uvas cædere falce juvat?
Ante thorum, stat mæsta Parens, resoluta capillos
Vngue secat vultus, & pia cura mori est.
Et longè ante alios Frater, tristesque sodales,
Infesta tundunt, pectora nuda manu.
Crudeles terras, crudelia sidera clamant,
Planctus & ex oculis imbris ad instar abit
Desinite ò Comites, fletu non flectitur Orcus;
Non lacrymis Acheron, desinit esse ferus.
Indefessa ratis, juvenes rapit illa, senesque,
Semper & ad stygium currit onusta vadum;
Sed me, nulla movēt Pariis monuméta sepulchris,
Non cor sollicitat marmoris urna meum.
Hoc precor ò socii: Nutu cui sidera parent
Has puro crebras fundite corde preces:
Sedibus ut mox Empyreis post fata quescam,
Et sit onus cineri non grave terra meo.

ERATO EX OVIDIO

CARMEN XXVIII.

QUisquis amore flagrat, me flamine temperet æstus,
Meque flagret flāma quisquis amore riget,
Sed tamen infelix Erato, miserum inter amorem
Cogor lucificos ducere triste dies,
Nec meus est luctus, mea nec suspiria fundo;
Alterius lacrymis, collacrymare juvat
Me juvat, & fletus, & amantum audisse querelas;
Queis mea sæpè solet flebilis ire lyra.
Ah quoties pretiosa odia, atque ultricia dixi
Vulnera, quæ furtim fecerat acer Amor!
Penelopen quoties refero, Didoque relictam
Rèsponsat querulo carmine pulsa chelys!
Improvisa cano quoties dum funera amantum,
Dat mihi amor subitas solvier in lacrymas,
Sivè tuos Hiacinthe, tuos seu pulcher Adoni
Sanguineos flores vulnera dira ferant,
Non nisi sæva movet funesto carmina visu,
Non nisi per luctus me ciet iste cruor,

Et vos Heliades lacrymis Phaetonta sorores
Flete, & gemmifero mergite fonte faces:
Scilicet irriguo currunt mea flumina lessu,
Et socio planctu flumina carmen agit
Flumina carmen agit: referam modò carmine luctus,
Et modò dent lacrymas carmina, carmen ago.
Eqlices undæ, lacrymæ modò sitis amoris
Vnda licet lacrymis turbida; cara tamen
Nobilior gemmis decurrat amabilis unda,
Et lacrymis auctum, flumen amoris eas.
Flumen amoris eas fulvo pretiosius auro;
Namque tuo tumido gurgite, corda vehis;
Corda vehis, dulces inter jactata procellas:
Tristi ubi mærentum murmure, dulce sonant.
Ad lacrymas has, tristia ad hæc suspira versus
Tentat amor, rigidas cordis adire fores,
Quisquis & has lacrymas,& amoris negligit undas;
Huic fera præcingit pectora, dura silex
Si potuere olim rabidæ mansuescere Tigres,
Tigride quin rabida dirior ipse foret,
Si lacrymæ poterunt lapidum mollire rigores,
Quis lacrymis tactus non magè blandus erit?
Si rigidum poterit precibus mitescere ferrum,
Quisve ferox precibus non magè mitis erit?

Barba-

Barbarus in rigidos, in duros fit quoque durus;
Mollibus at lacrymis is quoque mollis eat,
Turpe foret cordi, lacrymas contendere amantum,
Turpe, & Amoris erit, perdere velle reum.
Sive reum me reddat amor, ne despice amantem:
Forsan Amor doceat te simul esse reum.
Sive fleam supplex, ne supplicis abnue fletus
Forsinan, & supplex sic quoque amoris eris
Sit satis, hausisse ex imis incendia fibris,
Et tacito flammas occuluisse sinu.
Sit satis, emisisse alto hæc suspiria corde;
Sit satis iratas sustinuisse minas.
Sit lacrymas fudisse satis, tepidoque decoras;
Ceù Phœbo similes imbre rigasse genas.
Ah lacrymis jam parce meis, jam parce querelis;
Quas jacit è tremulo gutture, tristis amor
Mollibus hisce armis, tibi nunc violabile cor sit
Blandè irretitus; sit quoque blandus amor.

CAL-

CALLIOPE EX VIRGILIO

CARMEN XXIX.

ME tamen horrisono celerem vocat ænea cantu
Buccina Calliopen, tonitruquè simillima rauco.
Jam cædes, & mille ciet discrimina rerum:
Sive parare juvat bellum, classemque minacem
Instruere, ipsique addere vela volantia ferro:
Seù peditum pubes, seù comprimat ungula campos,
Seù mage turrigeris pelagus frænare carinis:
Mens hiat, Oceanique æstus calcare furentes
Semper in arma feror, rigidoque aptissima bello
Plectra gero, referens non mollia carmina plectris.
Quà fera curvato torquentur spicula cornu,
Certatimque ruunt, volucri per nubila lapsu.
Hinc, atque illinc telorum qua ferrea nubes
Ingruit, & latè condunt hastilia Solem,
Quaque metalla boant, furiis agitata malignis,
Sulphureisque incensa animis, per mille requirunt
Spiramenta vias, laxis volat actus habenls

Ignis

Ignis edax, circumque ferens, ultràque, suprâque
Fluminis in morem, flammarũ immurmurat agmen.
Aut ubi densa acies, hostilia mænia circum
Obsidione premit, seù quassant ariete muros,
Limina seù vellunt sonitu ruitura tubarum.
Ergo ubi dat sonitum tuba, cædes inter, & hostes
Mænibus irrumpunt è millibus, agmine facto,
Quà loca quassa ruunt, murorum ex aggere stratis
Callidus insultat, inimicave mænia complet.
Fortè alibi, vinoque graves, sommoque jacentes
Opprimit incautos, tacitis obtecta tenebris,
Improvisa acies, nec inania tela, nec ullos
Vulneris incerti, certos non dirigit ictus:
Non secus errantum venatica turba Leonum
In Leporem truculenta ruit, turbatque, voratque
Molle pecus, suadetque fames crudescere, & uncis
Parca cruentatis eviscerat unguibus ora.
Hic jacet intereà, jaculis confixus acutis,
Lætiferoque alius, roseum vomit ore cruorem
Confossus jugulo, conantem dicere, & illum
Occupat hic ferro; incerta sub imagine vocis
It caput abscissum, queruloq; in murmure languet.
Parte alia accensus flamma, excidioque suorum
Degeneres animos, Dux increpat; Heù quibus ille

Turbi-

Turbinibus fertur? quæ vulnera sæva minatur,
Obvia dum tela inter, ſpirantesque furores
Irrequietus obit; fatales ecce per ictus
Mortem haurit, rabidoq; ſolum petit ore cruentum;
Tunc ita ſanguinea fatur revolutus arena.
Exoriare meo, quicumque es ſanguine proles,
Et Patriam, hocq; animis, teliſque ulciſcere fatum.
Dixerat, hæc inter fugientem verba, reliquit
Indignantem animam, atque ultricia tela ferentem.
Sed rabidis actam furiis, me pila quid ultra
Exagitant diverſam, aut quò me Martius ardor
Abducit, gaudetque meos animare furores.
O' ubi ſum? cytharæ pulſus mihi blandus Apollo
Temperet, & placidos ardoribus obvia tantis
Mens animos ponat numeros exoſa minaces.

TALIA EX FLACCO

CARMEN XXX.

SVblimis agor, blanda Thalia;
Si mecum agitur blanda voluptas,
Ridetque meæ citharæ cantus,
Cui quoque ridet genii luxus

Impro-

Improba votis dira libido!
Non benè sat micat argentum,
Non sat rutilum fulgurat aurum,
Neque sat referunt Gargara messem,
Neque sat pelagus pingue tributum,
Neque sat Cœlum munera ferret.
Si in mella licet sidera ruerent:
Inhiat semper lasciva fames,
Vorat immensum sitibunda lues,
Nec tamen ægri satiant animi
Triste palatum.
Licet Eoi munera Gangis,
Licet auriferi vaga dona Tagi,
Quidquid Oceano conditur alto,
Quidquid undoso clauditur antro,
Conditque sinu divite Tethys
In Regum aulas fortuna vehat:
Spumet auratis trabibus lacunar,
Flagret ignitis nitidum pyropis
Cærulas gemmis imitetur undas,
Totque Sapphyri nitor astra pingat,
Parturit Tellus quot amena flores;
Tamen iratas feret ille minas,
Tamen infestos sentiet ictus.

Sugget in auro dira venena;
Fera cum risu lamenta bibet;
Atque ingentes simul inter opes
Cupiet gemitus, & cum lacrymis
Vulnera cupiet lenire sua
Regius armus.
Nulla vis auri reprimet dolores,
Nec venenatos reparabit ictus,
Noxios hostis, neque contumaces
Cordis irati stimulos retardet
Fervidos æstus animi, nec acres
Comprimet flammas, rabidique sacros
Pectoris ignes.
Nulla gemmarum pretiosa merces,
Leniet curas, & amara dulci
Temperans potu, recreabit ustos
Horis hiatus.
O' recludant pectus Reges
O' si pateret plaga Dinastæ
Non sufficerent pelagi lacrymæ
Non vocalis satis aura sonos
Ederet atro murmure querulos.
Ibi, ibi lacrymæ triste tributum,
Date vulneribus molle levamen,

Curet

Curet amatus vulnera questus
Plagas, luctus mulceat ater,
Quas injecit dira libido,
Quos imposuit blanda voluptas.

AD SERAPHICAM VIRGINEM,
ET MATREM NOSTRAM
D. TERESIAM
A JESU.
CARMEN XXXI.

PVlchrior fulgat facies Olympi
Aurea pectet mage luce crines
Sol ab Eoo veniens, nec ulla
Misceat umbra.
Audiat Tethys cohibens procellas,
Audiat tellus redimita flore,
Quas tibi laudes canimus sonoro
Pectine Virgo.
Linque Tu sedes superûm beatas:
Hùc ades celso volitans ab axe,

Dum tibi sacris crepitanda flammis
Thura vovemus
Tu Parens nostri, patriumque sidus;
Tu reformatrix Libani cadentis,
Tuque Carmeli ruitura fulcis
Culmina dextra.
Tu simul Virgo, genitrixque prolis,
Quam parem numquam genuere saecla;
Sed nec aequalem parient futuri
Tempora Mundi.
Aliger celsis veniens ab astris
Saepius te, ceu Famulus petivit,
Sed cor ignito jaculo Seraphus
Cuspide fixit.
Quin poli rector, sapiensque Verbum,
A Patre Æterno genitum terebro
Destinat sponsam, cupit atque clavo
Foedus inire.
O' decus Coeli, Columen Salerni
Redditum nuper, tibi dum celebre
Solvimus festum, fac ab axe nobis
Astra patere.

PATRIARCHA ABRAHAM

Ducens Filium ad sacrificium sic tacitus inquit.

CARMEN XXXII.

FLuctibus alternis, curarum jactor in æstu;
  Hinc Amor, inde Themis, mutua bella gerunt.
Me Sator æthereus verbis dominantibus urget,
  Vt feriam dura, mollia colla manu.
Patrius obstat Amor, sobolis dulcedine victus,
  Et vetat innocuo sanguine tingere humum.
Omnia sed vincant æterni jussa Tonantis.
  Heù jaceat nexus compede, stratus amor
Quare age Nate veni; cervicem porrige ferro.
  Sic jubet omnipotens, laus in amore mori;
Sed dum Nate, sacra morieris cæsus in ara,
  In lacrymis moriar naufragus ipse meis,
Et Patris, & Nati vitam, teret unius ictus.
  Conteret ille tuam, conteret ille meam.

AD

A D

DIVVM PAVLVM

DOMINICA VOCE STRATVM.

CARMEN XXXIII.

BElligero tonitru, atque ultricis fulgure lucis,
Sternitur irato Numine, Saulus eques.
Saule quid insequeris jurata lege Tonantem
Vox tonat è Cœlo; quid fera bella cies?
Ah frustra invenies animum obduraſſe rebellem,
Vt frustrà in calcar, calcitrat acer equus.
Te Duce, nō hoste, expugnabit Olympus auernum,
Propugnatorem te mihi Saule volo.

DIVVS JANVARIVS

In Amphitheatro Puteolano feris obiicitur.

CARMEN XXXIV.

AMphitheatrales edocta ostendere ludos,
Prima Dicharchei collis arena fuit.

Hic

Hic ubi ſpectator, ſpectandi condere leges
 Cenſuit Auguſtus, quod foret orbe ratum:
Hic Nero crudelis, ſpectacula præbuit hoſpes
 Gentibus Armeniis, ſub Tiridate duce;
Gloria, ſed major priſci eſt, & fama triumphi,
 Quod Deus hic mites juſſerit eſſe feras:
Dira ubi frænavit Januarius ora leonum.
 Qui blandè ad dios procubuere pedes.
Quid ſpectabilius poteras tribuiſſe Theatro?
 Ne ſpectes aliud grandius ecce ruit,

AD DIVVM
STEPHANVM
EJUS NOMEN SONAT CORONA.
CARMEN XXXV.

AVrea purpureas, quæ nectit adorea ſtellas,
 Et Stephani meritas ambit honore comas
Queis nitet æthereis per myſtica texta lapillis!
 Quale jacit lumen! lumine quale decus!
Cernis ut hinc rutilet, radiante cruore pyropus!
 Vtque adamas robur pectoris, inde notet!

Spem

Spem notat ille, imitans viridátia prata smaragdus!
Hæc fert virgineum, fulgida bacca jubar!
Te pretiosa decent hæc nominis omine digna.
Congrua tot gemmis sola corona tua est.

AD EVMDEM.

CARMEN XXXVI.

DIre feris Stephanum saxorum turbine Toror?
Vt ferius ferias, barbara corda rape.

AD EVMDEM: ALIVD.

CARMEN XXXVII.

DEsuper arce ruens, petiit Babilonius audax
Cimmerios aditus, Tartareumque chaos
Sors Stephano dispar. Lapidum sub mole satiscens
Vt saliat Cœli, ter patuere fores.

IN SOLEMNIIS
DIVI MATTHEI
EVANGELISTÆ

Ob servatam Urbem Salerni à Terræ motu.

CARMEN XXXVIII.

MUltifido sonitu, pavidisque boatibus aer
Mugit, & excusso cardine terra tremit.
Urbs ò ne timeas, tibi militat axe Patronus,
Hac prece, quæ feriant non habet arma Deus.

EJUSDEM APOSTOLI

Statua argentea solemni pompa circumducta.

CARMEN XXXIX.

HÆc sacra quæ Patriã decorans it põpa, reditq;
Nunquam letheis mersa peribit aquis.
Cernis ut æternis vivant sollemnia fastis:
Æthereo Divus nunc adamante notat!

AD IDEM SIMULACHRUM

In Cathedrali Ecclesia servatum.

CARMEN XL.

Quæ simulachra vides argentea fusa Salernũ:
Matthæi referunt, ora beata Patris.
Ah precor: hęc aris, hęc pectoris arce recõdas
Palladio melius, signa salutis erunt.

EIDEM PATRONO

Gratiarum actio, pro beneficio.

CARMEN XLI.

Urbis certa salus, te vidimus auspice, fulmẽn,
Nec cecidisse polo, nec titubasse solum.
Hinc tibi bina Charis, geminato fœnore grates
Reddit, dum Cœlum, dum tibi plaudit humus.

DE

DE DIVA CATARINA SENENSI ET DE DIVA TERESIA A JESU

CARMEN XLII.

NUm Catharina magis, nũ ſit Tereſia præſtans?
Et quænam à me ſit celſior axe, petis.
Si conferre velis (reſpondeo) ſtemmata utrius
Doctior hæc, & non ſanctior illa fuit.

EXPROBAT DÆMONI, VIRIUM Imbecillitatem poſt Dominicam Paſſionem.

CARMEN XLIII.

EX quo quadrifida mortẽ cruce, Numen obivit
Vinxerunt ſtygium ferrea Vincla canem.
Hinc potis eſt rabida tantum, nunc fauce latrare,
Nec (niſi quiſque volet) dente ferire valet.

OB CUSTODIAM RERUM MODICARUM.

CARMEN XLIV.

O Qui pro Christo vitam vis morte pacisci,
Pro Christo refugis, verba pati levia
Fare age. Cur gladii, tunc non terreberis ictu,
Nunc ubi te folii dat pavitare sonus?

DIABOLUS NON OFFICIT
Nisi volenti.

CARMEN XLV.

NOs nobis bellũ inferimus. Nos nõ sine nobis
Dytis Avernalis vincere suevit hydra
Sustulit ad templi Dæmon pinnacula Christum
Dejice te dixit, præcipitemque trahe.
Aspicis, imbelles vires, & debile robur!
Nam suadere potest, vi superare nequit.

AD

AD INVICTISSIMVM GEMINI
ORBIS MONARCHAM

CAROLUM II.
AUSTRIACUM

CARMEN LXVI.

CArolus, Auſtriadũ tot ſanguine clarus Avorũ,
 Jam parat exoriens luce nitere ſua.
Exere Sol vultum, te totus ut Orbis adoret,
 Exere Mars gladium, ne fremat orbe furor.
Nomine poſterior, nulli virtute ſecundus
 Claudere ſcis Jani, ſcis reſerare fores.
Ah precor obſtrictis fatis, tibi militet Æther,
 Ah ſupplex, multa te prece terra colat.
Jam Belgas, Italos, Gallos meditaris & Indos
 Danubio junctus, jam tibi Tigris ovat:
Sed cito cur geſtis orbem complexus utrumque
 Fortunæ immoto tranſigis orbe polos?
Ne properes Auguſte gygas, conſumere curſum
 Feſtina lentè, ſerus ut aſtra petas.

AD

AD EMINENTISSIMUM

ALEXANDRUM

CRESCENTIUM

S. R. E. CARDINALEM.

CARMEN XLVII.

Jam video, Latios Crescentia serta per agros,
Et merita roseum, fulgere fronte caput.
Jam nova tergemino succrescit Luna decore,
Terque suas pleno protegit orbe comas.
Debet Alexandro, nunquam decrescere virtus
Sic tibi sit semper crescere Luna potis.
Eja age Crescenti, crescat tua gloria, & astra
Ostrum si dederint, mox diadema dabunt.

AD PVRPVRAM EMINENTISS. DOMINI

D. FORTUNATI CARAFA

CARMEN XLVIII.

Fortunata viden, peperit jam Spina galerum,
Qualem sub Pœsti non parit axe rosa,

Cui

Cui nec coccineos ausim componere succos,
Sivè tuos Tyrius, Sidoni sive tuos,
Sed cur immodica rutilat tua purpura flamma,
Insolitumque sacro est pectore nacta jubar?
Scilicet immeritam Fortunæ se putat, & dum
Fortunatum ambit fortius illa rubet.

AD EXCELLENTISSIMUM

D. CAROLUM

MARIA CARAFA

PRINCIPEM BVTERIÆ, ET RVPELLÆ.

CARMEN XLIX.

QVod tibi Trinacrias aperit Butèria gazas,
Quot siculo gemmas æquore Doris alit:
Alta quod Augustos tibi dat Rupella curules,
Fulgida quot supero cernimus astra polo:
Quod benè Magnates inter numereris Hiberos,
Jam Jovis hispani, lectus Atlantiades:
Magna quidem fateor; Sed erit tua gloria major,
Quod fueris Princeps tempus in omne tui.

DE

AD ILLUSTRISSIMUM
D. PAULUM CARAFA
EPISCOPUM ATTELLANUM.
CARMEN L.

NOmine ceù Paulo compar, cognomine cōpar;
Vtri dat Siren Parthenopea lares
Spina eadem, gemina reſerat cum prole roſetum
Semideus terris alter, & alter erat.
Deberent ambo ſubſellia ſcandere Petri;
Et quarto ſextum conſociare jubar.
Sed vetat impatiens Cœlum. Ad ſe namq; Nepotem
Elevat, adque polum dùm trahit inde refert.
Cætera te Pauli deceant; diſpar, ſed in uno es:
Serus iit Patruus, tu citus aſtra Nepos.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM
D. SIMONEM CARAFA
ARCHIEPISCOPUM MESSANENSEM.
CARMEN LI.

CErnimus ut tumidi compreſſus fræna Pelori,
Aſpera nectarea pectora voce domes.

Te

Te Duce, Scillæus furor occidit, atque Charybdis
 Pastorem, posita te feritate colit.
Insuper, horrisonis non murmurat Ætna cavernis;
 Sed benè CARA FAci, nix scit habere fidem.
Quid Mamertinos animos vicisse stupendum est?
 Illa potis stygios pungere Spina duces.

DE ADVENTV
D. PETRI ARAGONII
PROREGIS NEAPOLITANI.

CARMEN LII.

COncine Aragonios, Siren Tyrrhena triũphos,
 Romuleo tandem, venit ab axe Petrus.
Ejice sulphureis festiva tonitruá venis,
 Tuque hilaris, læta plaude Vesevе face.
Nunc libet, & fas est, pulsas revocare Camenas,
 Rursus & Aonio fonte, levare sitim,
Eja age Cicnęo sociemus carmine nervos,
 Et melicum digitis sollicitemus ebur,
Pierio Petrum celebremus pectine: Fama
 Ni tamen illa suis occupat omne tubis.

EJUSDEM SIMULACRUM ÆNEUM.

CARMEN LIII.

ÆNea quid vili procudere signa metallo,
Atraque tam claro fingere membra Duci?
Indica debuerant laniari viscera ferro,
Et Petri auratis fundere signa globis;
Aurea namque meret simulachra, ille aureus Heros,
Aurea qui vexit sæcula Parthenope.

PORTUS NEAPOLITANUS.

Porticibus, & Marmoreis Fontibus ab eodem Prorege constructus.

CARMEN LIV.

CUrrite regalis Dryades ad classica portus:
Quà viret umbriferũ, stagna per uda nemus.
Degite marmoreis fluviis, properate Napeæ,
Candidior gelidis, quà fluit unda andris.
Sic Cardona jubet, liquido qui jura elemento
Dat, dum Parthenopes inclita regna beat.

Tuque novos glomeres, per amena novalia gressus
Sebete, & madido lætior amne fluas.
Hoc Petri pietas, Sirenis, fataque poscunt,
Vt gremio faustas experiatur aquas.

DE PORTV ARAGONIO. ALIVD.

CARMEN LV.

QVà steterat Cybeles, spatiàtur Tethyos undæ
Saxeus & mediis nascitur arcus aquis.
Sic nova Numinibus præscribit limina Aragon.
Majorem fatis quis neget esse Petrū?

FONS MARMOREVS

Ante planitiem Templi Montis Oliveti ab eodem Prorege erectus.

CARMEN LVI.

HÆc vaga, marmoreis educta canalibus unda,
Dulcisono duras mitigat imbre feras.

Tres simul undantes rugiunt, hinc, inde leones;
Sed fundit placidas ille rugitus aquas:
Ne mireris enim, Cardona Principe, Monstra
Sæva licet, mores dedidicere suos;

NEPTVNVS

Scatebra marmorea Mediana.

CARMEN LVII.

Tollitur ad superos moles Neptunia campos;
Quæ liquido vitreas gurgite fundit aquas;
Quæque charistæis fulget decorata columnis,
Et sudant gelidis marmora vorticibus.
Vndique limpha salit, mox argenti ruit imber;
Qui Mæandræas itque, reditque vias.
Evomit albescens, adamantina flumina saxum;
Sirenumque præit murmure dulce melos.
Odit Nereides Neptunus, amatque Napæas
Aspicis ut dulci gaudeat amne tridens!

IN-

INVOCATIO AD PHOEBVM

CARMEN LVIII.

PHæbe, per æthereas ducis qui lampada ſedes;
Et regis Aonia ſidera picta chely.
Funde precor, ſuperos Aſcrei nectaris imbres,
Et mea Caſtalio tempora rore riga
Mens inflata jubet Dyrceos pungere cantus,
Et teſtudineæ plectra ciere lyræ.
Barbiton, ò Pęan, propio fac pectine compar,
Et gaude æquali reddere fila ſono
Te decet, ut fidicen, lepidæ Sirenis alumnus
Pierium, grato fundat ab ore melos.

INTENTIO AVTHORIS.

CARMEN LIX.

DIvitias alius, Pactoli quærat arenis,
Aut legat è tyrio gemmea dona ſalo.
Indicus Eoas permutet Navita merces,
Findat & audaci Tethyos arva rati.
Sidereos Pharii declinent ætheris axes,
Dum tumida tollunt marmor ad aſtra manu:

Me

Me juvat Aoniis Soles consumere Divis,
Meoniaque sacrum cingere fronde caput.
Pallida quid prosunt auratæ pondera massæ,
Omnia si sternit, si quatit atra dies?
Marmora Pierii superant monumenta laboris:
Vivitur ingenio, cunctaque fata premunt;
At virides canent numquam, per sæcla Camenæ.
Æterna est Licio flava juventa Deo.

TVMVLVS MARONIS.

CARMEN LX.

EN cineres, en urna, sacri monumenta Maronis,
Quem gemit, æternis proxima Doris aquis
En lauri viduatus honor; si fulmine Mortis
Laurigerum Vatem, non rapuisse potis.
At cineres condat, corpusque hæc marmoris arca:
Est sua sidereo gloria sparsa polo.
Sic Superis placitum. Dum cōderet ossa sepulchrum
E' tumba fugeret nomen ad astra suum.

CRYPTA PVTEOLANA.

CARMEN LXI.

HIc ubi perpetua densantur nocte tenebræ,
Et timet obscuras Sol penetrare domos.
Mons erat, & curvo contundi saxa ligone
Jussit, Coccejus; sic dedit arte viam.
Huc venit, Arctoo stupidus Germanus ab axe,
Nec putat humanum nobilis hospes opus.
Dumque cavum sonipes pulsat calcaribus antrum,
Hinc reboat culmen, contremit inde solum,
Hæc ad Avernales, est congrua semita campos,
Phlægræis aditus hos, decet esse plagis.

PONS CALIGVLÆ.

CARMEN LXII.

QUæ scopulosa ingens surgit testudine moles;
Illustribus impositi semita pontis erat.
Sic frenum injectû pelago fuit. Ilicet undas
Sterneret, & famulis plaustra subiret aquis,
Nec mirum, Hunc tenuit Romana superbia morem:
Quà fines terris, quà dare jura mari.

AD EVMDEM. ALIVD.

CARMEN LXIII.

SAxea Romuleis, hæc pondera ſtructa triũphis:
Clauſa Dicharchæi clauſtra fuere freti.
Caligulæ referunt monumenta furentia ſævi,
Et Glauci ſolido regna ſubacta ſolo.
Heù ſunt, æquoreo ſcopulus nunc flebilis æſtu,
Fluctivagoque patent, ludicra preda ſinu.
Vindicat Æneadum faſtus ſic, atque trophæa
Immenſi pontis: pontus avarus habet
Quis mare non clamet, monſtrarum fertile regnum?
En Romana ſuo monſtra ruunt gremio!

AMPHITHEATRVM.

CARMEN LXIV.

HÆ, quaſcumque vides, merſæ tellure ruinæ:
Amphitheatrales emicuere lares.
Hic Romana dabat pubes, ſpectacula Martis,
Hic rubuit ſectis mollis arena fibris.
Theſſalus hic metam bigis auriga cavebat,
Gloria Circenſis pulverulenta gradus.

Fuulus

Fulvus ab Euxinis leo vectabatur arenis;
Et Tigris humanas mox bibitura neces.
Heù pudet effari popularis gaudia plausus:
Cum caderent lybicis corpora cæsa feris
Proh scelus! Humano nutrire cruore leones,
Et nostro geticas pascere corde tigres!
Sed si primævos aluit lupa lacte Quirites,
Quid mirum cupidos sanguinis esse viros?

MONS PHLÆGRÆVS.

CARMEN LXV.

Hic ubi Phlægra, suos absũptos fulmine natos
Funerat, & miris deflet amara modis.
Scissa sinus ululat, squallentibus horrida saxis,
Funereoque graves evomit ore faces.
Albicat igne solum, flavescunt sulphure colles,
Et fumus piceos tollit ad astra globos.
Tale igitur, celebres funus meruere Gygantes:
Ignea ut æterno fumiget urna rogo.

CLIVVS LEVCOGEVS.

CARMEN LXVI.

QVi croccâ surgit clivus fuligine septus
Sulphureos ructans tetra per ora focos:
Fulmine dejecti phlegræa est tumba Gygātis,
Sideriis ausi bella ciere tholis.
Quippè bituminei montis testudine pressus
A' Jove victori præmia digna tulit.
Ausus in æthereos committere prælia campos:
Prælia nunc patitur sulphuris, ipse solo.

NEPTVNI TEMPLVM.

CARMEN LXVII.

HÆc quæ tota latet, spoliataq; marmore, & auro:
Clara procellosi Numinis ara fuit.
Felix, Romuleo meruit quæ poplite cultum;
Thura triumphali vidit & usta manu.
Hæc aderant pelagi penetralia Regis opima
Indigetes Latii, quæ coluere patres.
Omina victoris tulit hinc Augustus honoris,
Cum novo Erithręas sanguine tinxit aquas:

At

At nemus,& lapides, Nerei modo limina condunt;
 Populeus ſacram ceſpes obumbrat humum.
Vndique gramineæ tolluntur ad æthera frondes!
 Tam nitidas ſerpens occulit hèrba domos!
Se propria ſtratum,haud reperit Neptunus in æde,
 Et patitur ſtabili naufraga fata ſolo!

CICERONIS ACADEMIA.

CARMEN LXVIII.

FOelices lapides, Ciceronem audire tonantem,
 Queis datum, & eloquii Principis ore frui.
Heù quoties animam pellectæ nectare vocis
 Hauſiſtis, ſtupidi dum riguere viri!
Palladios vobis ceſſit vaga Græcia poſtes,
 Riſiſtis Macedum culta lycea Patrûm.
At nunc vos volucrum comitatur muſicus orbis,
 Qui dulci tenerum fundit ab ore melos:
Aut querulo funus Ciceronis gutture ploret:
 Mulceat aut veſtras turba canora plagas:
Quidquid id eſt. Ceciniſſe decet ſub Conſulis æde,
 Qui Jovis æternûm vincere fecit Avem.

AD GAVRVM.

CARMEN LXIX.

GAurani colles, & amena Dycharchidos arua,
 Nataque Pomonæ rura virère Deæ,
Et vos Bacciferæ generoso palmite vites
 Salvete. O Patrui regna vetusta mei:
Huc libet errantes, varios huc figere flessus;
 Parthenopes valeant, atria rauca fori.
Sat rota, plus sævo torsit me Ixionis orbe
 Astrea irato fugit ad astra gradu.
Hic Ego, cum stratis surget, *Tithonia conjux*,
 Et quadrigantes orta citabit equos.
Experiar, melico quàm fundat gutture cantus
 Condita frondifero cespite lenis avis.
Roscida me capiet, serpens per gramina rivus;
 Seù placidus cursu, seù spatiatus agros.
Aspiciam Tauros carpentes montibus herbas
 Aspiciam verno pascere colle pecus.
Fortè aures alibi allicient pastoria cannis
 Sibila, silvestri musica grata Deo.
Aurea cum vernæ fulgebunt vellera stellæ,
 Et rabidos Zephyrus pellet ab axe Notos;

Ipse

Ipse legam teneras per quadrua compita calthas,
Et te setigero cesus Adonis apro,
Liliaque eruncam superâ saturata pruinâ;
Et cum purpureis alba ligustra rosis.
Forsitan, & bellax peraget spectacula Mortis
Agmen Apum: rapiam condita mella favis.
Sed cum flammifero Procion latrabit Olympo,
Tunc tua mirabor spicea dona Ceres,
Fessaque nectareus capiet mea lumina somnus;
Vitet ubi æstivos mitior aura focos.
Aurea divinos etiam dabit uva liquores,
Pendulaque arboribus, dulcia poma legam.
Hæc ego devenerer, Sirenis longior oris,
Et Cœli facie candidiore fruar.
Tunc veniet, flavis mage compta Thalia capillis;
Pollice mox avidam sollicitabo chelyn.
Laurus amat silvas, rauca non nascitur Urbe,
Et sacer Aoniis vivit Apollo jugis.
Ergo Gaure ferax tanto dignatus honore;
Tu mihi Parnassus, tu mihi Pindus eris.

TRI-

TRIPERGVLA MONS CINEREVS.

CARMEN LXX.

SÆva Dicharcheos dum flamma incederet agros,
Strataque contegeret plurimus arua cinis
Pulvereus Cœlo visus consurgere nimbus
Factusque ex illo est pulvere montis apex;
Sed qui pulvis erat, nunc est Marpesia cautes,
Et potuit mollis gignere saxa cinis!
Si cinis ut vivat potis hoc lapidescere Cœlo
Nostra quid in cineres tam citò vita perit?

AD EVMDEM:

CARMEN LXXI.

NOn satis, Iliacas vovisse ardoribus aras
Mulcibero, phrygios atque cremasse lares:
Æneadum vastare truci solatia flamma
Gaudet, & Euboicæ lampada ferre plagæ.
Nec mora sulphureas eructans faucibus ollas
E' cinere assurgit Pyramis acta silex.
Æneadum genitrix, nobis quæ dira cupido?
Cur sævire tui conjugis arma sinis?

Falli-

Fallimur: ut Memphys maneăt portenta Dycharcho
Tollitur hinc ſciſſo Pyramis alta ſolo.

LACVS AVERNI.

CARMEN LXXII.

ITur ad infernas ſedes, alta oſtia Dytis,
Quà tacitus ſtupidâ dormit Avernus aquâ,
Sed non alitibus, ceù quondam mortis hiatus
Spirat; quin læto germine ripa viret.
Hic tu conſpicies, populi veſtigia Martis
Marmoreos poſtes, balnea, templa, domos
Tantæ molis erat Romani gloria faſtus,
Ut Stygiis etiam deliciaret aquis.

APOLLINIS TEMPLVM.

Avernali Lacu collapſum.

CARMEN LXXIII.

QUà mutus fatuo ſpatiatur fluctus Averno,
Tartareaſque ſtupet, lubrica ripa vias

Auri-

Auricii fractæ mirantur Numinis arces;
Lapsaque Latoides limina sacra solo:
En potuit tempus, Phœbi perfringere currum;
Et rutilas Herebo sacrificare rotas!
Exclamare libet: Cuncta importuna prophanat
Mors, reddit majus si sine luce jubar!
Aut ubi Letheos arcet Libitina triumphos
Si quoque Avernali Sol cohibetur aqua?

LACVS LVCRINVS.

CARMEN LXXIV.

EOliis numquam temerata furoribus unda,
Pigraque lucrinæ stagna silentis aquæ,
Quæ pretiosa cavis alvistis dona lacunis?
Quæque tulit, vitreus munera glauca sinus?
Nobilis aurifera fluxit minus Hermus arena,
Et vicit gemmas concha lucrina Tyri.
Curvus at æquoreos auxit Delphinus honores
Addidit & patriis cærula dona vadis.
Quem tener arcano revocabat Ephebus ab æstu;
Mox dabat exigua pabula grata manu,
Et vixit donec vitæ puer ebibit auras,
Atque adiit pueri funere mortis erit.

Quid

Quid meruit Danaâ, Delphinus Arionis undâ,
Ut rutilet celsi fulgida pompa poli?
Si superas piscis meruisset scandere Zonas:
Hic erat æthereos dignus adire lares.

SINVS BAIANVS.

CARMEN LXXV.

Quicumq; Euboicos intras ò Advena portus,
Velaque Bajanas colligis inter aquas.
Aspicis ut dulci fluctus subtermeet & æstu!
Vt taceat salso Phorcidis unda sinu!
Hic tumidam Nereus rabiem, vesanaque ponit
Murmura, flabra cadunt, flamen & aura silet.
Hic glauco ludit, Triton spoliatus amictu,
Inter Delphinos, Nereidumque choros.
Hic æterna quies, nullis obnoxia ventis,
Nulla procellosis hic data jura minis.
Hoc mallent Getici mare, quadrigare Triones,
Hoc velit Arctophilax delituisse salo.
Quin imò superos fastidit Juppiter axes,
Hisque suum cuperet mergere fulmen aquis.

AD BAIAS: BALNEIS.

Salutiferas; Aere insalubres.

CARMEN LXXVI.

DIspereant Bajæ, scatebrisque tepentibus undę,
Mille salutiferæ ne celebrentur aquæ:
Tristi ubi pallentes baccantur funere morbi
Sævaque committit tot Libitina neces.
Si gravis aura nocet, si tellus funera spargit,
Cur nequeat dici, hoc littore Sardinia est.
Ne Bajana mihi promittat lympha salutem.
Est quam spondet aquis insidiosa salus.

HYPOCAVSTA

Sudorem emittentia.

CARMEN LXXVII.

QVa ruit occiduus, Bajanum Phœbus in æquor
Loraque puniceis aurea demit equis
Peonius calido fervescit gurgite fluctus;
Qui vacuam lethes cogit abire ratem.

Hunc

Hunc, arcana suis mersit Natura latebris;
Monstrat ubi angustum semita collis iter
Semita quæ nullis excisa furoribus ævi,
Sustentat pavidos, fida ruina gradus,
Ast ubi fumiferos tellus eructat hiatus,
Humidus exundat natus ab igne vapor;
Hincque patent aditus, simul ac Vulcania regna
Visuntur, Montes, Sulphureique lacus.
Hic Medicis fessos reparant ardoribus artus,
Quos gelidus torsit squallida membra rigor,
Mæstaque de curva pelluntur fata senecta;
Dum venit emisso fervidus imbre calor,
Et rosei redeunt vultus, amissaque forma;
Infecit teneras cui Venus ante genas
Salve Dive latex, Naturæ munus amantis,
Caraque Peonio vivida dona Deo.
Immodico Cicni celebrent te laudis honore,
Quos sacer Ascræo vertice Phœbus alit,
Vt sua vix tanto decurrat Castalis amne,
Et magis Aoniâ nobilis unda fluas.

AD EADEM. ALIVD.

CARMEN LXXVIII.

HIc ubi, tartareũ ſpirant hypochauſta vaporem
Fervidaque occultas permeat aura vias.
Clauduntur miſeri morborum indagine capti,
Vt flagret vitii flamine quiſque ſuo:
En premit exanimes ignitus anhelitus artus,
Et ſudore gravi corpora ſiccā madent
Sic vitioſum vindex humorem excoquit ignis,
Et calido ſudor flumine membra levat
Vſque adeò ſudandum homini, dum vita fovetur!
Quæ ſudore caret, vivere vita nequit.

HERCVLIS TEMPLVM

Bajanis aquis ferè ſepultum.

CARMEN LXXIX.

FLuctibus hæc mediis ædes conlapſa marinis:
Herculei quondam Numinis ara fuit.
Qui pelago fines poſuit, ſtatuitque columnas
Naufragus exiguis ecce laborat aquis!

Æquo-

Æquoreo jacet ille ſinu, Nereique triumphus,
Cui fuit immenſus ſarcina parva polus!
Frangere quem potuit, numquã germana Tonantis
Tethyos undoſo vortice fractus hiat!
Illum qui meritis Mundi replevit utrius
Limina, cæruleis occulit alga vadis!
Herculis ò Fatum. Grajæ jam victima flammæ,
Et nunc Bajano præda voluta mari!

VIA ARAGONIA.

CARMEN LXXX.

QVi veteres mõſtrat Cumas,& Apollinis arces
Callis, erat ſcabris invius ante jugis.
Horrida combuſto ſquallebant pumice ſaxa,
Rodebat curvas gleba maligna rotas.
Pendulus abrupto, nutabat vertice currus,
Orbitaque annoſa pigra tacebat humo;
Præbuit at faciles aditus Cardonius Heros,
Culmina qui Xerſes perforat orbe novus:
Protinus effoſſi gemuerunt viſcera montis
Mox ſolidis tumuit cautibus hauſtus ager;
Infera quin etiam novere cubilia lucem,
Quà patuit ſtructo ſemita recta ſolo.

Si po-

Si potuit Petrus, Thetydis submittere regna:
Ne mireris, Opys, si modo saxa domat!

VENERIS TEMPLVM.

CARMEN LXXXI.

ASpice: Bajano squallet quà Cypridis ara
Littora, gramineis semisepulta comis.
Si nescis, Venus hoc currus compressit olores,
Hic juvit terni linquere regna poli.
Auroræ messis sacris altaribus arsit,
Et quæ collegit thurea grana Syrus;
Sed quæ Cælicolam meruit concludere moles
Posse suo prohibet vivere terra sinu.
Obruta sic propriis extat tumulata ruinis,
Vt sua vix habeant iam monumenta fidem.
Proh mirum! queis nata fuit propè Mater amorum
Æquoreas spumas, Cypria templa cadunt!

TEMPLVM DIANÆ.

CARMEN LXXXII.

STrata Thoanteæ cernis quæ mænia Divæ,
Fons ubi Peonias ad mare volvit aquas,

Quam

Quam geticis olim nituerunt fulta Lapillis,
Altaque Phidiacæ ſigna tulere manus!
Nunc heu Dædaleo ſordent nudata decore
Herbaque deciduas fundit ubique comas.
Ambigis hic ne coli quondam Dictynna potuerit?
Marmoribus priſcis, ſic aſarota carent
Deficiant Hecates quid mirum templa ſub axe;
Si ſuperis etiam deficit ipſa plagis?

AGRIPPINÆ TVMVLVS.

CARMEN LXXXIII.

HOc tegitur genitrix tumulo Agrippina Neronis
Alternæ Solis quam coluere domus.
Ah ſcelus! inviſæ properavit fata Parenti
Natus, & infernis corpora merſit aquis!
Quæque pios toties, maris eſt experta furores
Occubuit prolis præda cruenta ſuæ.
Proh pudor! eſt ſobolis rabies feralior undis!
Humana immani ſævior ira mari!
At ſi ſanguineum peperit feritate Colubrum,
Fas erat à genito fata ſuprema pati.

PI-

PISCINA MIRABILIS.

CARMEN LXXXIV.

HAnc valido molem, pilarum cardine structam
  Irriguo immensum, quæ tulit imbre vadum;
Non vt fama fuit bellax erexit Agrippa,
  Nobile Luculli munere fulsit opus,
Cui licuit domitis dare jura fugacibus undis;
  Nec mirum Xerses, namque togatus erat:
Quin imo & Xersis, Luculli & stemmata confer.
  Molibus hic rapidas, strictius anxit aquas.

MISENI PROMONTORIVM.

CARMEN LXXXV.

DArdanus hac jacuit, tubicen Misenus arena
  Ausus Cæruleos ære ciere Deos:
Hic tumulum liquidos duro pro marmore fluctus
  Repperit, Infernis, quà citò cessit aquis.
Hic quoque secessas venit redivivus ad auras,
  Nomine cum vidit mænia structa suo.
Nunc Misene, nites viridi mons cinctus amictu,
  Et tuus æterno palmite vernat ager

Auctus

Auctus honor: tremulis coopertus terga smaragdis,
Te fert perpetuis nunc magè Fama tubis.

CUMANA PLAGA.

CARMEN LXXXVI.

Hoc nemus, hi colles, hæc culminis aspera cervix,
Hæc semper resono littora tunsa freto:
Chalcidici suprema sonant, monumenta pheretri
Strataque Cumani prisca trophæa poli.
Hic se ceratis libravit Dædalus alis,
Post ubi ceù volucrem, se per inane tulit,
Et sacra Latoo devovit mænia Divo,
Alarum fixit remigiumque tholo.
Proh Dii: Phœbeæ cecidere sacraria lucis,
Fœdavitque sacras atra ruina domos,
Atque ubi Dædaleæ steterant Hyperionis arces
Labitur æquoreis flexibus unda maris.
Sed ne Solaris stupeatur lampadis ara
Lapsa mari; est Clarii Numinis urna Thetis.

ANTRUM SIBILLÆ CUMANÆ.

CARMEN LXXXVII.

QUi veterum ſurgit, ſilicum compagibus arcus,
Quique patet, cæca concava rupe lapis
Horrida Cumanæ ſecreta ſtetere Sybillæ
Romuleo doctę fata tonare Duci.
Hic ſtygios carpſit per opaca crepuſcula calles
Æneas, armis & pietate potens,
Et Phlegetontis opes, Anchiſæ umbramq; ſenilem,
Vidit & Herculeo rupta labore loca
Vidit, & Elyſiis ſobolem, ſpatiarier aruis;
Victuram gemini florida regna poli.
Omnia nam poterat fretus Junonis Avernæ
Ramo; luſtrabat quo duce Dytis iter.
Jure ergo ut raperet Phrixeæ vellera lanæ
Æſonides, ſævas primus adivit aquas
Si ſtygii flectunt adamantina pectora Regis,
Si reſerant nigras aurea poma fores.

ARCUS

ARCVS FOELIX.

CARMEN LXXXVIII.

QUi vetus exurgit lapidum celsissimus arcus
Extitit Herculei Numinis altus honor.
Fęlix, qui prolé meruit decorare Tonantis,
Et sub quo tendit, qui super astra micat.
Ne tibi purpureo placeas pole signifer Arcu,
Nobilior terris si nitet Arcus ovans.

LINTERNVS SCIPIONIS TVMVLVS.

CARMEN LXXXIX.

ERgo ubi Scipiadis cineres requiere sepulti
Æquoris in morem despatiatur aqua?
Dic precor unda, tuis forsan servare lapillis
Illustres cineres glauca per antra cupis?
An potius diros Pœnorum ulciscier ignes
Optas, ut turbes nobilis ossa Ducis?
Fallor. Scipiadem tantùm decet urna elementum.
Angusta haud poterant condere saxa virum.

REGALES ASTRUNI.

CARMEN XC.

O' Nemus ò silvæ, fulicis gravidæque lacunæ,
Et quæ setigeros antra fovetis apros:
Si mea sincero curret rota mobilis axe:
Vos eritis curæ, deliciæque meæ,
Istic explodam nitrosa tonitrua ferro,
Aut rapiam celeri stridula tela manu;
Et modò cornigeros configam cuspide cervos,
Nunc erit ignifero fulmine cæsus olor.
Sic rigidis castos tutabor saltibus artus,
Nec poterit jaculo figere pectus Amor:
Olim Martis aper, venantem cædit Adonem:
Nunc fera, me Veneris liberet aucupio.

TEMPLUM JOVIS AMMONIS,

Nunc Cathedralis Puteolana.

CARMEN XCI.

HIc ubi marmoribus cæsis tolluntur ad astra
Postibus auratis, gemmea fana Deo

Men-

Mendacis ſteterant olim delubra Tonantis,
Vanaque Romulei ſama laboris erat.
Hic ubi Erithreæ miramur germina conchæ
Calphurnus Parias vexerat ante petras.
Hic ubi Martyribus redolens nunc fumat acerra;
Ammoni cecidit victima ſtrata Jovi.
Nunc veri Jovis ara nitet, virideſque ſmaragdos
Laurea Cęlicolum, poſcit & oſtra cruor.

DE DICEARCHEIS.

CARMEN XCII.

Ic ubi terrigenæ ſpirarunt bella Gygantes;
Altaque Leucogeus terruit aſtra furor:
Martia civiles agitat modo turba tumultus
In patrium gaudens tela rotare latus.
Scilicet eſt aliquid Phlægręo ſemine naſci,
Hinc ruit in vetitas gens truculenta neces.

IN

IN MALVM POETAM

Præfata vestigia immodicè deformantem. Ad Avitum.

CARMEN XCIII.

Condoleat lætor vestris nova Musa ruinis;
Nec mirum est inter diruta sæpè ruat,
Quam rudis in rudus! quam rustica, ruris ad oras!
Carmine quam fracto, fragmina frangit iners!
Vestra tamen rerum superest ditissima clades,
Ipsa suum servant diruta tecta decus.
Plus quæ lingua nocens, quã quæ cariosa vetustas
Rodere consuevit saxa Dicharcha timent.
Nec tot tempus edax, operosa palatia sternit,
Quot conatur opes mergere, Musa bibax.

DE SPINA PRIMOGENITO

Insigni, totius Familiæ Carafæ.

CARMEN XCIV.

Spina fuit, Veneris pupugit, quæ cuspide talos,
Vnde tulit niveis muricis ostra rosis

Alte-

Altera Teutonico descendens Spina Boote
Ostra sub Æneadum scit peperisse polo:
Hæc mox imperii genitrix, sibi sceptra capessit;
Parthenopes quando florida regna beat
Pauca loquor: Fæcunda velut Berecinthia, terras
Currit, Semideûm cincta cohorte Ducum
Testis, conspicuæ soboles famosa Stateræ
Fulta olim compar, Vrbis, & Orbis onus.
Quid sit Spina parens, è germine nosce Stateræ.
Quid fons, si tantis rivus abundat aquis?

IN CLASSEM TVRCICAM

Venetorum armis disjectam.

CARMEN XCV.

THracia cæruleas peragrabat Tethyos aulas
Classis; ut Illyricis arma tonaret agris
Ira Ducum mediis fervens ardebat in undis,
Surgebat Nerei Martius ardor aquis,
Sed citò fulmineos tonitrus, experta Timavi
Æquoreo jacuit ludicra preda salo.
Protinus expetiit desertæ jugera terræ,
Dum sibi non fęlix Hadriæ arena fuit.

I nunc

I nunc Thrax tumidus, Venetumq; lacesse Leonem?
I nunc occiduo decide Luna mari.

D. JOSEPHO BAPTISTÆ

Latio Ætruſcoque Carmine potenti.

CARMEN XCVI.

CLare vir, Aonio ſpiras qui pectore Pœbum,
Et latices cunctos ex Helicone bibis,
Quem geminæ rorant gemino de fonte Camenæ
Inque ſacro volitas colle bilinguis olor.
Auſpice te lampas Sirenis in urbe coruſcat,
Quæ ſua multiplici nubila luce fugat,
Et repetunt bifidos Parnaſſia Numina montes,
Exerit & binas docta Minerva fores
Parthenope venerare virum, cui poſthuma reddet
Æternum duplici fænore Fama decus.

GEN-

GENTILITIUM STEMMA

Hispanę Familiæ Chaves.

CARMEN XCVII.

QUà Tartessiacum ruit in mare Phœbus. Honoris
Ærato clausum cardine, limen erat.
Viderat hoc, pennas centum, quæ lumina centum
Fama habet, atque suam jussa liquere tubam
I ait in quinas melius mea buccina claves,
Has deceant clausas mox reserare fores.

ÆSTAS CALIDISSIMA AD CARUM.

CARMEN XCVIII.

TAm rabido numquam latravit Syrius astro,
Nec Nemees lybicos ussit hiatus agros
Igneus æthereos fervor coquit undique campos,
Torrida conceptas vibrat & Æthra faces.
Ardet ager, squallescit humus, sterilescit & arbor,
E' viridi croceam germinat herba comam

CARE, vel obliquo propiùs, Sol tramite currus
Flectit, & assuetum currere liquit iter:
Aut iterum patrias Phœton assumpsit habenas,
Tam ferus è solito non volat axe focus.

MUNUS BACCHI.

CARMEN XCIX.

QUos Cumana diu servavit testa liquores
Mitto tibi. Aonii gloria magna chori.
Exigua ingentem testentur munera amorem
Dives Amor, quæ sunt parvula magna facit.
Aurea det dives, dat rustica munera pauper
Divitias rapuit sors inimica Patrum.
Tu ne sperne: Jovi semper non hostia taurus
Concidit, est etiam victima grata pecus.

IN MORTEM SUPERBI.

CARMEN C.

TAm malè procumbit, telluri triste tributum,
Qui tumido nuper triverat astra pede.

Huc

Huc rosei recidunt spectata insigna vultus;
    Frigidaque exanimat pallidus ora cinis.
Mox eadem te fata manent, hàc itur ad imam,
    Quæ tot majores contegit urna tuos.

AD MATTHÆVM CHYMICVM.

CARMEN CI.

FOedera quæ teneant lunari elementa sub axe;
    Quæ mare, quæ tellus prodigiosa ferant.
Quid salis aerii peragat penetrabile robur,
    Quidve Dicharchęus sulphure prosit ager:
Te Matthæe patent, arcanaque corpora rerum,
    Dum referas clausos, igne docente sinus.
Mulcibero monstrante viam, facibusque magistris,
    E' positis arces funera tetra rogis:
Japeti mendax jactet ne lampada proles
    Raptam Sole: Tuo vivit in igne salus.

AD ANTISTITEM MARCHESIVM.

CARMEN CII.

DUm Caper hybernos Cœlo fert horridus imbres,
    Et glaciem terris frigida portat hyems

Dius Amor, gelido Bethleæ rupis in antro
    Nascitur, & superas exerit ortus opes.
Personat hinc festis lætus concentibus Æther
    Pace micat tellus, astraque pace micant.
Omine tam fausto, niveos tibi candide Præsul,
    Candidior semper lux vehat ista dies.

LIEI MVNVSCVLVM.

CARMEN CIII.

ACcipe Chalcidicis nuper sudata racemis,
    Nunc servata novis aurea vina cadis.
Quam mallem Eois quidquid fodit Indus in arvis
    Mittere, quæque vehit divitis unda Tagi.
Parva tamen nostri ne respue pocula Bacchi,
    Pocula, quæ Vates fas habuisse sacros.
Scilicet hæc placeant cum sis Parnasside vinctus
    Lauro, sic etiam Baccicha dona decent.

AD TVRRIVM.

CARMEN CIV.

IMmanes olim Turrim struxere Gygantes
    Moturi æthereis impia bella plagis.

Nunc

Nunc ſtruit Aoniam, Virtus attollere Turrim,
Ut de lætheo Rege trophæa ferat.

AD DOMINUM
D. FRANCISCUM
FLORILLO.

Sacerdotali Dignitate inſignitum.

CARMEN CV:

NVlla tibi potuit contingere gloria major,
Nec majore potes vincere ſorte decus:
Namque olim vitrea Cœlum qui condidit urna
Falſa dedit pictis aſtra rotare globis:
Tu vero dum verba tonas, deducis Olympo,
Et parvo immenſum contegis orbe Deum.

CARMINI SIC RESPONDET.

CARMEN CVI.

ARte Syracuſius trepidantia currere vitro
Juſſit, & in fragili volvier aſtra polo.

Juppi-

Juppiter obstupuit, risitque elementa recentis
    Orbis, cui vitreo ducitur axe dies.
Ast ubi circumscripta tuo nova pondera Mundi
    Carmine conspexit; sic dedit ore sonos.
Quid stupeam (superi) doctæ miracula dextræ,
    Quæ potis in vitro fingere signa poli?
Ecce potens fidibus, vitreo qui tramite Mund
    Edocet armonico pergere signa gradu.
Hoc opus, hicque labor, vitreus dum volvitur axis
    Reddere Sirenum carmine dulce melos.
Divisum imperium vitreo patiamur in orbe:
    Reddidit ille polum, reddidit iste sonum.

AD DIVITEM E CVRRV LAPSVM.

CARMEN CVII.

DEdicit in terram Phaeton prolapsus in undas,
    Vt malè succensas temperet indè faeces.
Decidit in terram hic, argento, auroque gravatus,
    Vt rectè in centrum proruat omne grave,
Sic solet opposito pelli medicamine morbus,
    Sic humili casu, tecta superba ruunt.

AD

AD AMICVM.

CARMEN CVIII.

DVm me divini tangit nunc gloria ruris ,
Euboicamque juvat findere bobus humum:
Accipe quæ legi pendentia ab arbore pruna,
Hibleoque ferax nectare sume pyrum.
Hæc licet Alcinoi fuerint non lecta viretis,
Poma, nec Hesperiis prosiliere plagis :
Non tamen exiguo veniunt comitata decore,
Estque decor parvo in munere, grandis Amor

AD PROCOPIVM.

CARMEN CIX.

ITe Dicharchæum mea poma ascendite collem
Procopii ad nitidos officiosa lares.
Vos gremio capiet, vultu quo lætus amico
Herculeus cæpit rustica dona Deus.
Dicite quod Cœlum nobis hæc otia fecit
Inter festivos vivere rura dies ,
Sic Ego, sic vivam Cumana inglorius ora,
Pectora nec punget cæcus honoris amor.

Scili-

Scilicet Agricolam, si me Fortuna videbit,
Hoc sat erit, domino, cætera mando Jovi.

DONUM AMPHORÆ VINI.

CARMEN CX.

NOn mihi mille latent viridi sub palmite Montes,
Nec mea Niliacus rura colonus arat;
Parva sed Euboicus mihi dat pomaria collis
Struxit ubi horrificam casta Sybilla domum.
Hanc igitur gravidam, læneo sanguine testam
Hanc cape, fœcundo protinus ore bibas.
Seù Sophiæ te tangit amor, seù læta moratur
Rhetorice, his patheris usque disertus eris.

IN CAUSIDICUM.

CARMEN CXI.

JActat Causidicus sanctas pervertere leges,
Atque prophanati vendere jura fori
Impie sic violas, quæ debes jura tueri?
Siccine justitiam tutor inique foves?

Sed

Sed scio, te tantum fallendi lege peritum
Scire tuum totum est, te studuisse dolis.

IN N. ARCA.

CARMEN CXII.

ARca nihil condis, doctæque ignata Minervæ.
Tu non arca mihi, sed magis Arcas eris.

VITI VOTVM

Pro Authore Ægrotante.

CARMEN CXIII.

LAnguet Olor, Phœbe accelera, succurrite Divę
Indignum est Cicnos supra Helicona mori.

CVI AVTHOR SIC RESPONDIT.

CARMEN CXIV.

PHhębe procul, medicas, Divęq; avertite palmas,
Sed tu Vite veni, pollice tange chelyn.
Te veniente retro gradiuntur munera vitæ,
Nec notat exanimis languida membra color.
Orpheus infernos traxit modulamine Manes,
Tu fidibus major, me Phlegetonte rapis.

Scilicet Agricolam, si me Fortuna videbit,
Hoc sat erit, domino, cætera mando Jovi.

DONVM AMPHORÆ VINI.

CARMEN CX.

NOn mihi mille latent viridi sub palmite Montes,
Nec mea Niliacus rura colonus arat;
Parva sed Euboicus mihi dat pomaria collis
Struxit ubi horrificam casta Sybilla domum.
Hanc igitur gravidam, læneo sanguine testam
Hanc cape, fœcundo protinus ore bibas.
Seù Sophiæ te tangit amor, seù læta moratur
Rhetorice, his patheris usque disertus eris.

IN CAVSIDICVM.

CARMEN CXI.

JActat Causidicus sanctas pervertere leges,
Atque prophanati vendere jura fori
Impie sic violas, quæ debes jura tueri?
Siccine justitiam tutor inique foves?

Sed

Sed scio, te tantum fallendi lege peritum
Scire tuum totum est, te studuisse dolis.

IN N. ARCA.

CARMEN CXII.

ARca nihil condis, doctæque ignata Minervæ.
Tu non arca mihi, sed magis Arcas eris.

VITI VOTVM

Pro Authore Ægrotante.

CARMEN CXIII.

LAnguet Olor, Phœbe accelera, succurrite Divę
Indignum est Cicnos supra Helicona mori.

CVI AVTHOR SIC RESPONDIT.

CARMEN CXIV.

PHhębe procul, medicas, Divęq; avertite palmas,
Sed tu Vite veni, pollice tange chelyn.
Te veniente retro gradiuntur munera vitæ,
Nec notat exanimis languida membra color.
Orpheus infernos traxit modulamine Manes,
Tu fidibus major, me Phlegetonte rapis.

Cccc AD

AD EVMDEM MVNVS PHIALARVM.

CARMEN CXV.

DUlcior hybleo ſapias cum nectare Vitò
Bacche; tuum ſolito tollere ad aſtra decus,
Nec te ſulphureis lacrymavit Vesbius Oris
Edidit, aut celebri colle Falernus ager.
Te de Cumarum Euboica, puder eſſe lagena,
Ritè verecundo Bacche colore rubes.

AD N. PACE EX TIBVLLO.

CARMEN CXVI.

HÆc, quæ pace nitent, roſei cape dona Liei,
Non indigna tuo nomine, dona cape.
Pax aluit vites, pax ſuccos condidit uvæ,
Pace rubet pleno roſcida gemma lacu.
Oſtra petant alii, vel quos dant bella pyropos,
Te quæ pace nitet purpura, Pace decet.

A D P H A L E S I V M.

CARMEN CXVII.

QUiſquis ad Herculei venies vineta Veſevi
Judice me palmam vina phaleſa ferunt.

A D

AD AVITVM.

CARMEN CXVIII.

QVod mihi Gaurani misisti munus Jacchi,
Ambrosios redolent dulcis Avite favos,
Testaque Bacchæo manans pretiosa liquore,
Pergrati obsequii pignore, testis adest.
Non majora potest concedere munera dives,
Munera præstiterit quæ mihi dives Amor,
Nec mage gemmiferis hæc vina liquata racemis,
Pressa nec è prælo dulcior uva dedit.
Juppiter hoc nequeat melius conviva madere,
Ebrius aut fieri nobiliore mero.

AD TVRRICELLAM.

CARMEN CXIX.

GRande chaos linguis, peperit Babilonica Turris:
Pierios modulos parvula Turris alit.

AD EQVITEM D. JOSEPH CHAVES.

CARMEN CXX.

QVid pigros mittis Joseph, teſtudinis artus,
Qui regis aligerum Bellorophôtis equum?
Fallor: Largiri melicos teſtudinis armos
Te decet, Aonia qui feris arte lyram.
Biſtonias Orpheus traxit teſtudine cautes,
Quam das teſtudo munere, corda rapit.

AD DIDACUM.

CARMEN CXXI.

MVta licet, loquitur Prothei grex ſquammea Mullus
Munificas Didaci, ſcit celebrare manus
Sidereos (inquit) ſuperus ne jactet honores,
Nunc ſibi Delphinus, quem dedit unda polo,
Quam mihi nunc melior, melius dat munus Arion
Vive tuo piſcis Numine, vivo meo,
Nec mihi demptus honor, mortem ſubiiſſe tridente
Servitio Didaci, vita perire fuit.

EQVITI
D. JOSEPH CHAVES.
CARMEN CXXII.

UT dapibus geminis, animũ pascamus, & aluum
Huc venis, & dextræ, pandis & oris opes.
O' quot squammigeri largiris munera Prothei!
O' quod pieria concinis arte melos!
Nostra tuum (Chaves) sapiunt convivia Phœbum,
Haud minus ambrosiæ copia dives abit.
Dum duplici, duplex bibimus, de nectare, nectar,
Quid pavisse Jovis dulcius esca potis?

AD SENEM ÆDIFICANTEM.
CARMEN CXXIII.

SVb vitæ occasum, surgentes extruis ædes,
Quando sepulchralis te magis urna docet.

RE-

REVERENDO ADMODVM

P. NICOLAO

DE RVGGERIIS.

A SOCIETATE IESV.

CARMEN CXXIV.

NVnc ubi Sol calidæ ſcandit faſtigia Zonæ;
  Et torret Cancri fervidus ignis agros
Ruggeri noſtros ne dedignare penates,
  Cærula quos placido murmure lambit aqua.
Tecum aderit Gurgus, Theſeo nexus amore,
  Ille tuæ Gurgus maxima pars animæ.
Seù vos tanget amor, percurrere Doridos aulam,
  Vos modo cantantes picta carina feret;
Seù ſcopuloſam inter veſtigia flectere ripam,
  Multus arenoſo margine Phœbus erit.
Quidquid erit: Gemino gaudebit Arione puppis,
  Gaudebit geminum ripa tuliſſe Cicnum.

CVI

CVI SIC RESPONDIT.

CARMEN CXXV.

ME liquidi properare jubes ad cærula Nerei,
Cum Sol flammigeris æquora lustrat equis,
Et cum deposito, quo cingitur igne senescit,
Et cum supremo volvitur axe poli.
Circumfusa domum quando alluit Amphytrite
Tecum adero Antoni, nec sine parte mei,
Sed si non adero, venias quò collis amenam
Præbet humũ, atq;umbrã,& ludicra bella viris.
Trudiculis gnari, ignari ludemus ubi iræ,
Qui argumenta dedit, mitior inde tacet,
Qui victor lætas inito certamine voces
Comprimit, abjecto spes redit ingenio.
Seù studiis resonant ædes plausuque faventum
Victor io referunt, proxima tecta; Veni,
Seù luctu miscentur agri, victique dolorem
Ostendunt; celera: dulcior iste dolor,
Te veniente canam, te discedente silebo,
Tu lyra, tu carmen, tu mihi Phœbus eris.

A D

AD AMICVM PAVPEREM.

CARMEN CXXVI.

EXpectat semper pavidam, fors alta ruinam,
Qui considet humi, non habet unde cadat.

AD PALMAM PRÆSVLEM:

CARMEN CXXVII.

QVem procerum plausu, populi quem voce petebam
Venit io, flores, festaque serta date!
Exere lucidius roseum caput, exere Phœbe
Antistes properat: nunc mage pecte comas.
Macte animi, qui lætus honor! quæ gloria Cives!
Æthereo quantum stillat ab axe decus!
Me licet Herculeis decorarunt Fata triumphis,
Cæsareosque dedit Dardana Roma lares.
Omnia despiciam dum animorum frenat habenas
Palma, hinc pro cunctis hæc juga Fama canat.

AD AVARVM

CARMEN CXXVIII.

DIvitiis inhias, vitiis obnoxius hæres,
Aurum, & virtutem, non capit una domus.

SOLONIS DICTVM.

CARMEN CXXIX.

LEgibus æquales orditur aranea casses;
Queis fera parva capi, has rūpere magna solet.

IN MALEDICVM.

CARMEN CXXX.

DEnte ferox, cessa indiscretos rodere cunctos,
Cui bonus est nemo, est omnibus ipse malus.

IN DICACEM.

CARMEN CXXXI.

OMnibus ore madens, appares ebrius horis
Protinus eloquium corrige: siccus eris.

IN DOLOSUM.

CARMEN CXXXII.

FIt dolus ut doleam, ſed non doleo, ipſe dolebis,
Hæc vindicta mihi eſt, non doluiſſe dolo.

IN MACHINANTEM.

CARMEN CXXXIII.

IN mea damna vigil, noctùque, diùque laboras,
Plus te cura premit, quam mihi damna nocent.

IN TVRPILOQVM.

CARMEN CXXXIV.

TVrpe tibi cor eſt, ſi turpia lingua recantat,
Lingua eſt ægroti cordis & indicium.

AD DOMINICVM SEPVLCHRVM.

CARMEN CXXXV.

COnditur hoc tumulo, totius conditor Orbis,
Nec Cœli capiunt, quem lapis iſte capit.
Pergite fælices lapideſcere corda nocentes,
Dum cor fit lapis eſt aptior urna Deo.

AD

AD
DIVAM AGNETEM.

CARMEN CXXXVI.

SImphonii proles, cui corde Cupido triumphat
Hos tulit Agneti fictus amore sonos.
Lumina Zapphyro, Carbuncho labra coloras,
Quæ rides gemitus crudior Agna meos.
Fulget onix dextra, currum quæ frænat amoris
Marmore membra geris, cor adamante riget.
His nunc si lacrymis, telisque Cupidinis obstes,
Quid mirum? è solido es corpore tota lapis.
Cui Virgo: meritò Christi, mox sponsa nitebo.
Cui petra, cuique lapis, nomina magna manent.

AD REGIVM CONSILIARIVM
PLANELLUM
DE VITA
P. FR. MARIANI
A S. BENEDICTO.

CARMEN CXXXVIII.

BAptistę catraphractus eques, Thesbitis athleta,
Cui mare dat nomen, sidera dantque lares.
Retrogradus terris modò non descenderet axe,
Ni lux Planelidis, ni foret umbra toga.

FINIS.

ERRATA	Corrige
muleris.pag.[illegible].v.7.	mulieris.
ut ſolet.p.8.v.6.	ut ſcit.
Erithræ.p.8.v.6.	Erythræo.
purpureus p.10.v.5.	purpureos.
Nemæa.p.13.v.5.	Nemeæa.
elati.p.25.v.6.	alati.
ſceſſiſque.p.28.v.9.	ſciſſiſque.
nouit.p.33.v.17.	nocuit.
ſuſpendant.p.43.v.9.	ſuſpendunt.
advolitabat.p.46.v.16.	pervolitabat.
plectum.p.51.v.11.	plectrum.
panditur.p.54.v.5.	Panditor.
tegat.p.56.v.22.	tegit.
Io ſtrepet.p.62.v.19;	Serpat io.
Ceberides.p.71.v.15.	Cerberides.
victoria.p.77.v.12.	victoriam.
Panis.p.81.v.4.	Panos.
ſtrupro.p.88.v.22.	ſtupro.
ille.p.95.v.2.	illa.
genitus p.101.v.15.	gemitus.
herba.p.102.v.17.	verba.
Pytho minus.p.104 v.3.	Pythō haud
rabido.p. 104 v.3.	tantum.
matutinas.p.105.v.19.	matutinos.
hymno.p.105.v.19.	hymnos.
feriant.p.109.v.20.	feriat.
Draco.p.112.v.3.	Draco voci
dona.p. 114.v.5.	dena.
Æther eis.p.118.v.3.	Ætheris.
Tunais.p.120.v.10.	Tanais.
ſepteni.p.127.v.23.	ſepteno.
actea.p.128.v.8.	poſtea.
pectine.p.135.v.20.	pectine tacta;
pendens p.138 v.14.	pandens.
Pytho de.p.144.v.11.	Python è.
tantem.p.147.v.17.	tandem.
plauſum.p.151.v.7.	plauſu.
noſtris.p.152.v.1.	noſtri.
triſte.p.154.v.5.	triſtes.
tardo p.155.v.24.	tarda.
Æſonide.p.159.v.20.	Æſonides.
iungunt.p.165.v.9.	iungunt.
deſtruit.p.166.v.10.	deſtruis.
Aut quantis Iapygis. p.174 v.5.	Iapidis aut quantis.
territæ.p.135.v.17.	territa.

ERRATA	Corrige
geminæ.p.187.v.9.	gemini.
ceraſtæ.p.187.v.9.	ceraſtes.
tenitrua.p.193.v.13.	tonitrua.
laudabilem.p.194.v.5.	laudabile.
viri.p.196.v.19.	viris.
attularat.p.197.v.17.	attulerat.
Cadunt.p.201.v.12.	cadant.
militæ.p.203.v.12.	militiæ.
ungibus.p.206.v.13.	unguibū.
lætitæ.p.211.v.6.	lætitiæ.
tubit.p.221.v.2.	tulit.
quiſque p.243.v.19.	quiſquis.
Ibiadem.p.247.v.3.	Iliadem.
pelagos p.253.v.19.	pelaſgos.
attolet.p.256.v.10.	attollet.
trouo.p.268.v.13.	nova.
phalarico.p.272.v.13.	phalarica.
am.p.275.v.5.	Tam.
exultaret.p.281.v.11.	exularet.
itetabat.p.286.v.18.	iterabat.
Innocui.p.297.v.21.	Innocuus.
quandam.p.303.v.23.	quondam.
iſte.p.304.v.24.	ire.
ſtiam.p.306.v.2.	viam.
floſſas.p.309.v.16.	foſſa.
Nadayes.p.316.v.7.	Nayades.
ſtatio tuta rati. p.317. v.24.	tuta rati ſtatio.
geſtit.p.320.v.18.	geſtiit.
propioque. p.340. v.21.	propriorq;
optatus.p.348.v.19.	optatis.
aure.p.353.v.18.	aura.
quoſque.p.453.v.9.	quaſque.
cedro.p.453.v.9.	cedros.
fontem.p.457.v.17.	fontes.
nubis.p.479.v.11.	nubes.
prouocat.p.483.v.5.	prouocet.
caſta p.493.v.12.	caſtra.
quonam.p.496.v.23.	quo.
Briſtonii.p.505.v.5.	Biſtonii.
virtice.p.506.v.1.	vertice.
cedere.p.506.v.4.	cedere.
queſcam.p.506.v.19.	quieſcam.
forſitam.p.505.v.8.	forſitan.
Toror.p.520.v.6.	Tortor.
hoc.p.550.v.5.	hic.
Ia.p.557.v.9.	Hic.
venis p.573.v.2.	vehis.